IOANNES BVTINVS
Lectori beneuolo S.

REligio mihi eſt dicere,lector beneuole, q̃ nõ leui periculo ceſſatur ab ijs, quibꝰ eſt tradita prouincia,rudes iuuenum animos gnauiter informandi huiuſmodi inſtitutis, quę,dum adoleſcãt,atq; occurrãt in doctrina iuxtà ac prudentia maturos, maxime cõueniat inculcari. Sunt nempe quibus operã impendiſſe nõ ſolum nihil refert,ſed ne licet quidem,vt quæ ſemel apprehẽſa plurimũ dum viuas officiant,& in adultam ætatem hæreant,vel pice tenacius,non ſine graui iactura. Nec mirũ,cũ ferè abeat in naturam,quicquid cõciliauit aſſuetudo,pręcipue rudibus annis inolita : fitq; admodum ægre ,vt illis moribus te extrices,quoſcũq; puer imbueris, malis nõ minus,quàm bonis.Ceſſatur,repeto,hac in parte,ſiquid modo ceſſetur, periculo : cum ſit in procliui periclitari,non de fama tantũ dico, qua nihil eſſe puto prius homini in vita,ſed & de parte illa quę nobis eſt cum dijs immortalibus cõmunis,qua homines ſumus,aut bruta.Verendum ſiquidẽ eſt ne ſi muneris accepti ꝓuinciæ ſatis pro eo ac honeſta ratio exigit,factum nõ ſit,quod ſuperi auertant,malum malè accitũ,perpetuæ pœnæ diſpendio ſarciatur tandem,factoq; naufragio peſſum eat,quo nos a beſtijs natura ſecreuit,tam pretioſum monile,tam grande talentum,anima,

35. 2. A. 14

Non me fallit quod dico: noui q̃ male ceſſit, q̃ non parum diſpendij inuexit multis, qui nõ tam ſcholæ curandę, q̃ cenſibus recipiendis ſe inuitatos putarent, malè obitæ huiuſmodi prouinciæ exitus. Noui q̃ non impune cũ ijs parentibus actum eſt, qui omnẽ in liberis aſpernati diſciplinã, quã tamen imbibere pueros in primis decet, amẽtes indulſerunt, ad nequitiã patefacta feneſtra, quod libuit, eo ipſo relicto quod licuit. Quo fit, vt mirũ videri nemini debeat, ſi in re tã ſeria iocis omnino non indulgeam, atq; in hoc totus ſim, vt innoteſcat nihil me detrectaſſe laborem, quin abunde pręſtitũ eſſe à me quãtum ꝑ tenuitatẽ licuit. impulſo tamẽ, fateor, importunis aliquorum orationibus, quibus diutiſſime reluctatus, non plus effeci, q̃ qui manum opponit mari vt aliter fluat. In qua re ſummoperè formido mihi inuſtũ iri a pleriſq; temeritatis notã, qui nullo dicendi ſcribendi ve vſu exercitatus, ijs meã infãtiam prodiderim, quę indigna ſunt in quibus elaboretur, ab ijs potiſſimũ, qui vltra prima ſcientiæ rudimenta ſunt progreſſi. Sed faciamus ita eſſe. num protinus indignum cenſeri debet negotium cui incũbatur, quòd maius aliquãto ſuſtinere poſſis? Meum certè fuit conſilium, ita me deus amet, ad altiora viã munire rudibus, eorũq; promouẽdis ſtudijs inſeruire: nihil autẽ derogare ne pilum quidẽ politioris literaturæ viris. His cũ Camillis, cũ Hortẽſijs aut Neſtoribus res eſt, quibuſcũ non de lana caprina, non de aſini vmbra (quod dicunt) ſed de ſummis rebus prudentiſſime agitur. Mihi cũ elementarijs, cũ Neoptolemis, in ſumma cũ pueris recèns natis negotium hoc interceſſit, qui a nuci-

bus vixdum deſueuerũt. His facilitas eſt difficultas:arduum,quod alijs eſt vel digitis notius. Ob id craſſiſſime docenda cenſui,quę craſſis tradebãtur,vt ſi quiddam aliũde occurrat,in quo addubitetur,hic ſit quod ſcrupulũ leuet.Nec eram ignarus illius quod paſſim dici audio,in re parua faciendum eſſe periculum,vt ſi parũ fœliciter cedat, non multũ ſit diſpendij capiendum.Sed ſapientẽ non remorabũtur, ſcio,quæ perperam dicentur: cuius eſt, ex multis ſi quid boni eſt, decerpere, non faſtidire ſi quid eſt vitij. Alios autem quibus nec modulatiſſima luſciniæ cantio grata eſt,nihil nõ offendet, (vtinã hic mihi liceat vane hariolari) quãlibet alienum ab omni reprehẽſione.Verũ huiuſmodi ſubſannationes non pluris fecerim, q̃ vana lethargicoꝝ ſomnia,aut inarticulatos ebriorum & ſine mente emiſſos ſonos.Non enim laborõ ſi abſit hilaritas momis quibuſdam,modo adſit vtilitas pueris,apud quos vel hoc nomine gratiam me initurum eſſe confido, ꝙ etſi beneficiũ deſit, benefaciendi voluntas non deſit:cũ in magnis vel ſuſcepta vota ſint nõ vulgari fauore proſequenda.Porrò eorum gratiã (quando aliter nequeo gratificari) ſuſquedeqꝫ habuero, qui cũ ſint ex alieno tantum pectore eruditi,nec edant,quo planum faciant quicquid ſibi nuſq̃ nõ arrogant, mirũ eſt quo ſupercilio aliena recantare non erubeſcunt.Tu lector beneuole pro tua in omnes humanitate fac quicquid tibi coẽgimus, (coẽgimus autem quicquid anno ſuperiore è ſcriptis in rem fore magis iudicauimus) boni conſulas:hac lege lautiora excepturus es cum videbitur

IOANNES BVTINVS
ſuis diſcipulis S.

PRæſcripturus ego(bonæ ſpei Iuuenes)aliquot regulas quæ mihi ad poëſis aliquā introductionem ſi nō eruditis,at vobis adhuç rudibus conducturæ videbantur, exiſtimaui me facturum operæpretium, ſi id qua poſſem facilitate,& (vt dici ſolet) craſſiore Minerua factū vobis redderem, quò certe alacriores ſolito,audentioreſq; ad maiora properetis, necnon intelligatis apertius,q̃ mihi futura veſtri eruditio curæ vel ſit,vel eſſe debeat:qui non aliò hac tātilla re, qualiſcunq; ſit,alijſq; vobis impenſis meis officijs (quæ ſatis ſilendo loquuntur) ſpectare volui, q̃ vt vobis(male ſit mihi ſi ſecus dico ac ſentiā) cōmodare poſſem, Ratus ea quæ domi veſtræ nata eſſe cenſeretis,ſtudio paulo feruentiore vos excepturos eſſe, q̃ quæ ab alijs mutuo ſumerentur. Quod vt faciatis,non ſolum hortor,ſed & iubeo, & meo iure vrgeo:vt innoteſcat cū veſtra in me volūtas, tū mihi deſiderium ſuccreſcat ea conādi quibus viciſſim me veſtri ſtudioſum eſſe teſter peramplius,tum præſertim,vt in hac re non mediocriter verſati,mea conſuetudine meiſq; conſilijs fruſtra vſi videri nunq̃ poſſitis. In quo ſi (vt veſtrarum eſt partium) vos candidos præſtiteritis,quàm chariſſimos mihi vos habuero. Otium noſtrum boni facite.

CVm varia ſint & pedū & carminum genera, fuerit tamē ſatis in hoc elegiaci verſus cōpendio,duobus tantū, Dactylo ſcilicet & Spōdeo incedere pedibus, qui vobis maxime vſui fu-

turi ſunt ad eam viam peragendã quã aperire eſt inſtitutum. Agemus enim in primis de hexametro & pentametro, ne vel tędio vos enecent, vel in vnum congeſtæ tot præceptiones, ſua tandẽ mole ruant, non ſine magno ſui & congerentis periculo. His ſanè cognitis, faciliora multo comperiẽtur quæ à nonnullis neſcio an tã indigeſte quàm fuſe ſcripta eſſe videtis, quæ non niſi magno negotio doceret paucorum dierum vſus.

¶CARMEN omne vt legitimis pedibus abſoluitur, certis legibus inter ſe coërcitis: ita pedes ex numeroſa longarum vel breuium ſyllabarum inter ſe connexione cõſtant. Pes nempe, Diomede definitore, poſitio eſt duarum ampliuſve ſyllabarum certo ſpatio comprehenſa.

¶Dactylus pes prima porrecta, duabus alijs breuibus conſtat ſyllabis: vt

— v v — v v — v v

Docta pha, liſca ſe, rene pa, ras.

¶Spondeus pes conſtat duabus longis, vt

— — — — — — — — —

Mortem, contem, nunt lau, dato, vulnere getæ

¶Verſus hexameter, vel, ſi malis dicere, heroic⁹ ſex menſuris abſoluitur: quarum cuilibet correſpõdet vnus pes. In quatuor autem primis menſuris dactylũ vel ſpondeũ recipit indiſcriminatim: in quinta dactylum ſolum: in ſexta ſolum ſpondeum: vt

— v v — v v — — — v v — v v — —

Tempora, digere, ret cũ, conditor, vrbis in, anno

Et

— — — v v — v v — v v — v v — —

Salue, feſta di, es meli, orq; re, uertere, ſemper,

Quod ſi ſecus fiat,fiet profecto licētia,quā nolim vos imitari,vt eſt apud Virgiliū duodecimo Aen.
Inſeritur vero ex fœtu nucis arbutus horrida.
Laudo meum ciuem, nec comparo teſtamētum. apud Iuuena.
Prius carmen appellatur Dactylicum,Poſterius autem ſpondaicum.

VErſus pentameter quinq; habet mēſuras, in quarum primis duabus dactylum vel ſpondeū recipere poteſt indifferenter, deinde prior ſemiquinaria, id eſt ſpōdei altera pars ponitur,quam ſemper ſequuntur duo dactyli:& altera ſemiquinaria, ex qua & priore conſurgit vnus ſpondeus,vt

— v v — v v — — v v — v v —

Et redit, offici, o,Iuppiter, ipſe me, o,
Et ius, verten, di, cardinis, omne me, um eſt.

Ex hoc & illo priore conficitur carmen elegiacū, quale eſt illud.

Vino vita perit,vino corrumpitur ætas,
Vino ſæpe ſuum neſcit amica virum.

QVI CARMEN METIARE.

SEd vt in menſura carminis nō ſit qui hallucinetur,vocalis in fine dictionis abſumitur, ſi ſequens dictio à vocali incipiat: vt,Omen ab euentu eſt.

Proſpera lux oritur,linguiſq; animiſq; fauete.
Sic dimetire,
Proſpera,lux ori,tur lin,guiſq; ani,miſq; fa,uete.

Litera deniq; m eliditur cum vocali præcedente, quando etiam ſequens dictio incipit à vocali, vt Monſtrū horrendū informe ingens. Et in Faſtis,
Ille manu mulcens propexā ad pectora barbam.

Sic metiedum eſt.

Ille ma,nu mul,cens pro,pex,ad, pectora,barbã.

¶Prior colliſio vocatur ſynalœpha,Poſterior vero Ethlipſis:eaq; ſynalœpha fieri ſolet in duabus dictionibus,& rariſſime in vna: vt

Seu lento fuerint aluearia vimine texta.

¶Per ſynęreſim dicet poëta huic,cui,dij, ij,monoſyllaba,& per dięreſim aliquando ſylua triſyllabum,& ſimilia.

¶Eliditur itidẽ in fine carminis vocalis quæ carmini ſuperflua eſt,ſi ſequens carmen a vocali incipiat:vt Virgilius.j.Aeneidos.

ærea cui gradibus ſurgebant limina,nexæq;
ære trabes.

¶Propter eam ſyllabã ſuperadditã verſus dicitur hypermeter. Sunt & qui dicant s aliquãdo abſumi, vt m:quod apud Virgiliũ videre licet.

Inter ſe coijſſe viros,& decernere ferro.

Quanq̃ & nonnulli legant cernere.

¶Nec deſunt apud quos nõnũq̃ omittitur omnino colliſio:vt apud Ouidium.

O vtinam tunc cũ Lacedæmona claſſe petebat.

Et apud Horatium in Odis.

O & pręſidium,& dulce decus meũ. Et Virgiliũ.

Et vera inceſſu patuit dea,ille vbi matrem.

Sed illud nõ niſi qb⁹ ẽ licẽtia pmiſſũ, audẽdũ eſt.

ANimaduertendũ pręterea eſt diligẽter, vt ſit in carmine elegans quędã pedum cõnexio,nec facile fiat vt pes aliquis integra dictione conficiatur.nõ enim dici poteſt q̃ ſit indecorum huiuſmodi carmen diſſolutum·

Fœmina fallere,falſaq; dicere,quando cauebit,
Sequana piſcibus,& mare fluctibus ante carebit.

¶Cauendũ eſt etiã ne rythmi incõcinnitate carmen vitietur, aut aliquarum dictionum literarũve concurſu nimis aſpero, aſperum quoq; reddatur ipſum, quale eſt illud·

O Tite tute Tati tibi tanta tyranne tuliſti.

vel illud.

Caſus Caſſandra canebat. vel illud·

Aut pluit aut ningit aut noſtra pediſſequa migit.

¶In primis videndũ eſt vt ſingula ſint latina, ornata, perſpicua, & ad id qđ facere velis, accõmodata: nihil deſit, nihil ſuperfluat: ſintq; verba, & ſententiæ quaſi lumina quædam, quibus ſtatim eluceſcat quicquid eſt quod ſcribendum cenſeas, aut oculis exponendum.

ELEGIACI CARMINIS ORnatus Canon.

VT carminis quoq; decorum ſciatis, Sentẽtia carminis Elegiaci debet in fine primi vel ſecundi finiri, & nunq̃ vel raro in tertium carmen tranſire. Ouid. in faſ.

Pluris opes nũc ſunt, q̃ priſci temporis annis,
Dum populus pauper, dũ noua Roma fuit.

Marullus.

Das gemmas aurũq;, ego do tibi carmina tantũ.
Sed bona ſi fuerint carmina, plus ego do.

ALIVS CANON.

VNicuiq; ſubſtantiuo venuſte addetur cõueniens adiectiuum, quod epithetum vocant, illiq; nonnunq̃ pręponetur aliqua dictione interiacente: vt Ouid.

In noua fert animus mutatas dicere formas
Corpora. Lucanus.

Bella per Aemathios pluſquã ciuilia campos

Virg. Siluestrem tenui muſam meditaris auena.

¶Epitheta quæ vel ornãdi vel deſtruendi vel indicandi cauſa nomini adduntur,

A B A N I M O quãdoq; ſumũtur, Vlyſſes Græcorum aſtutiſſimus. Pius Aeneas. Plato inter philoſophos ſapientiſs.

A C O R P O R E, vt loripes Vulcanus, Therſites Græcorum turpiſſimus.

A B O N I S F O R T V N AE: vt Crœſus ditiſſimus agri, Hercules fortiſſimus, Rex generoſus.

A N A T I O N E, patria, ſexu, educatione, ætate, diſciplina, rei habitu, aut anteactis: vt Grẹc⁹ mẽdax. Pœnus fallax. Fragilis mulier. Thales Mileſius. Vlyſſes Ithacenſis. Domitor mõſtrorũ Hercules. Bis capti Phryges. Superciliöſ⁹ philoſoph⁹. medicus ad quæſtũ propẽſus. Sophiſta loquacior q̃ ſapientior. Cato ſeueriſſimus. Iuſtus Ariſtides. Quæ hoc plus afferent voluptatis, quo magis accommoda fuerint.

A R E R V M N A T V R A, vt moroſa ſenectus, intractabilis Iuuentus, Eſca malorũ voluptas, Expultrix vitiorum philoſophia, Sol aureus, Pallida Luna, Nox frigida, Turrigeras vrbes, Aerios ſcopulos, Patulas quercus. Petẽda ſunt id genus exẽpla a copia Eraſmi, quẹ ad hũc vſum plurimũ valent. Nec indecens erit illa pro rei vel tẽporis ratione mutare. Non enim eſt neceſſe Iouẽ ſemper appellare æquũ aut benignũ, quinimo ferum & crudelem aliquãdo: non manſuetũ hominẽ ſemper, imò vero indomabilẽ, pluſquã inſanũ, pluſq̃ delirũ ſenem. Non vbiq; canem rabidũ dixeris, ſed placidum & blandũ idẽtidem prout res ipſa exiget: in qua re quàm non parum adiumenti

præſtiterit iudicium, vix credas.

ALIVS CANON.

Res velociſſima deſcribenda eſt omnibus penè dactylis, ſi res aut ipſarum dictionum egeſtas ferat: vt equum currentem deſcripturus, ſic dicam·

Quadrupedãte putrẽ ſonitu quatit vngula cãpũ.

Apud Virg. ix Aeneid.

At tuba terribilem ſonitũ procul ære̊ canoro.

Idem in ſecundo

Conuellimus altis
Sedibus, impulimuſq; ea lapſa repente ruinam
Cum ſonitu trahit, & danaũ ſuper agmina late
Incidit. Et apud Perſiũ, vbi & grauitatẽ addit.
Torua mimalloneis implerunt cornua bombis.

CANON.

¶Res autem grauis & tarda ſpondeis ferè deſcribenda eſt, & raro dactylis.

Virg. I. Aeneid.

O fortunati quorum iam mœnia ſurgunt.

Et in ſecundo

Inuadunt vrbem ſomno vinoq; ſepultam.

Ibidem

Inuoluens vmbra magna terramq; polumq;.

CANON.

¶Repetitur eleganter in ſecũdo verſu nomẽ vel verbum quod in præcedente fuerat poſitum.

Fauſtus.

Semper apoſtolicis adſunt pia lilia rebus,
Lilia quæ ſummo miſſa fuere polo.

¶SICVI tamen nõ ſatiſfaciat hoc elegiaci prælu dium fortiter inhianti cæteris generibus nihil omnino guſtatis in cocorũ aut ſi quid eſt cocis vel

apitijs contemptius, lixarum aut fortè moloſſorum cœnam relictis,apud eum impetret gratiam mea cauſa,ꝙ paſſim dici audio,id magno fructu paruoque negotio fieri, vt iuuentus (quam ſtatim optimis adſueſſe non parum refert) in varijs diſciplinis magnum faciat progreſſum, ſi optima quæꝗ delectu in compendium relata illi ſuggerantur.Quis neſcit? arbitrabar equidem ductoris operam minime deſideratum iri ab ijs potiſſimũ qui artis auſpicati eſſent fundamenta,ad reliqua quoꝗ percipiẽda, ſi modo pedes ſibi haberẽt exploratos. Sed ne tenuitatẽ domi pertęſi,ſub aliena tecta conuoletis,hæc ſubieci, quæ didiciſſe nõ parui puto momẽti fuerint ad primam facultatẽ poeſeos. ad quæ vt facilior pateat acceſſus,ſunto vobis hi pedes & eorundem ratio nota.

Diſſyllabi

Spondeus – – dicunt. Pyrrichius v v deus
Trochęus – v fraude. Iambus v – deos.

Triſſyllabi

Dactylus – v v tempora.
Anapęſtus v v – domine
Tribrachus v v v dominus.
Moloſſus – – – complectens
Amphibrachus v – v reiectus.
Amphimacrus – v – dixeris.

Quadriſyllabi

Proceleumaticus v v v v tenuia.
Coriambus – v v – hiſtorias.

¶Sed quia iſtorum vſus non eſt ita frequens aut neceſſarius,eo feſtinemus vnde fuimus egreſſi,ab aſclepiadeoꝗ ſit auſpicium.

¶ASCLEPIADEVM Carmē ſpondeo dactylo ſyllaba longa & duobus alijs dactylis conſtat.

Horatius.j.odarum.

Mecœnas atauis edite regibus.
O & pręſidium & dulce decus meum.
Sunt quos curriculo puluerem olympicum
Collegiſſe iuuat:metaqꝫ feruidis
Euitata rotis,palmaqꝫ nobilis
Terrarum dominos euehit ad deos.

¶Huic carmini conformis penè eſt verſus dactylicus alcmanicus , niſi quod in vltimo loco ſpondeum adſciſcit.

Boetius metro.ij.j.libro.

Heu quā,præcipi,ti,merſa pro,fundo,
Mens hebet,& propria luce relicta,
Tendit in externas ire tenebras,
Terrenis quoties flatibus acta
Creſcit in immenſum noxia cura.

¶GLICONICVM Carmē cōſtat ſpōdeo & duobus dactylis:vt
Mater ſæua cupidinum.

Boetius metro.viij.lib.ij.

O fœlix hominum genus,
Si veſtros animos amor
Quo celum regitur,regat.

¶PHALECIVM Spōdeo dactylo & tribus trocheis perficitur. Trochęus aūt priore longa & altera correpta ſyllaba cōſtat.nōnunquā in prima ſede iambum pro ſpondeo reperias.

Martialis lib.iiij.

Nunquam diuitias deos rogaui,
Contentus modicis,meoqꝫ lætus.
Paupertas veniam dabis,recede.

Cauſa eſt tam ſubiti nouiq; voti.
Pendentem volo Zoilum videre.

¶SAPPHICVM, Trochęũ recipit primo, dehinc ſpondeum, dactylum, & duos trochęos: quod ferè ſequitur Adonicũ dactylo & ſpondeo conſtans.

Horatius odarum lib. ij.

Auream quiſquis mediocritatem
Diligit, tutus caret obſoleti
Sordibus tecti, caret inuidenda
Sobrius aula.
Sæpius ventis agitatur ingens
Pinus, & celſæ grauiore caſu
Decidunt turres, feriuntq; ſummos
Fulgura montes.

¶ARCHILOCHIVM Heptametrũ cõſtat quatuor primis pedibus dactylis vel ſpondeis indifferenter, & tribus trochęis, vel ſpondeo vltimo: vt
Soluitur acris hyems grata vice veris & fauoni.
Archilochium dactylicũ dimetrũ duobus dactylis conſtat, & ſyllaba vna: vt Horatius
Puluis & vmbra ſumus.
In quo velim vos exerceri primũ: donec ſuauioribus aſſuefacti, aliquanto amariora decoquere poſſitis.

¶METRVM Iambicum dimetrum recipit Iambum locis omnibus, ſpondeum anapęſtum locis tantum imparibus: vt hoc

Fulmen retorquet Iuppiter.
Phœbus ſagittas aureas.
Telum Mineruæ eſt Pallados.
Arcu ferocit Cinthia.
Claua minatur Hercules.
Thyrſos Lyæus concutit.

Conſus tridente confremit
Turget Priapus faſcino.
¶METRVM anacreontium dimetrum conſtat Anapęſto, duobus iambis,& ſyllaba: vt Boetius.
Habet hoc voluptas omnis
Stimulis agit fruentes,
Apiumq; par volantum
Vbi grata mella fudit,
Fugit,& minus tenaci
Ferit icta corda morſu.

¶Hactenus de ratione horũ carminũ qua potuimus & facilitate & breuitate perſtrinximus: idq; factũ voluim⁹,ne forte pagella turgeat his quę ad poëticam nihil aut parum conducãt. Obſcurũ nemini eſſe arbitror, quã multum referat edidiciſſe rudes potiſſimũ huius artis diſcipulos, quę omniũ iudicio plurimũ habent momẽti, diuerſa genera verſuũ. nihil mehercle perĩde adiutare poteſt ſtudioſum q vt poëta verſus ſcribere volet, atq; variorũ poematũ aſſidua & frequens lectio, eaq; hilari diuerſitate cõdita. Alia cõſulto omiſimus, cũ ne quid prolixitas ingerat faſtidij: tum quæ deſiderabuntur, ſuggerent alij amplius.

¶Nunc offert ſe locus, proſœdiã, id eſt ſyllabarũ quantitatẽ paucis aperiendi: quę vt ad manũ ſit, has regulas habete in numerato.

PRO PRIMIS SYLLABIS.

¶A in primis ſyllabis producit ante has literas, l, m, n, s, in dictionibus diſſyllabis: niſi in his, alo, alis, malus, a, um, palam, & quibus eſt genitiuus creſcens, vt ſalus, ſalix, calix, phalanx, (calo tamẽ & halec longãtur) amo, fames, tamẽ, chlamys, ſamos: cano, canis, manus, canon, anus, anas: Baſis,

caſa,phraſis,quaſi. in poliſyllabis autẽ corripitur a ante prædictas conſonantes, niſi in his,caligo, ſqualeo,alea,talis,talio,palatiũ,lamentũ,amẽtũ, lamẽtor,lamina,dametas,ganeo: danubi9,Baſiũ, caſeus,Aſiaticus,naſica,paſiphae. Ante alias conſonantes ferè corripitur.

APPENDIX PRODVCTORVM.

A b

¶ Fabula,flabellum,labor,beris,labes,crabro,flabra, pabulum. tabum, nonnunquam corripitur flabellum.

A c

¶Brachium,acer adiectiuum,placo, cacus, cacabus,dacus, facundia,graculus,machina, macero, maceries,thracia,zacharias.

A d

¶ Caduceator,clades,gades, radix,rado, ſuadeo, ſpadix,trado,traduco,vado,is:adam & gradiuus variantur.

A g.

¶Flagito,fagus, flagitiũ,pagus,plaga pro vulnere,laganum,magalia, ſagax, ſagio, tragula,vagina,vagio,pagina,ſtrages,tragemata.

A p

¶Crapula,rapũ,vapulo, ſapo,papilio,capus, vel capo,papa,apher,apis maſculinum. Alia poſitione cognoſces: vt vappa,lappa,appulia.

A q

Quaq̃,nequaquam.

A r

¶Ara,arete,areo,area,carica,carex,carus,char9, a,um,ſicut alia adiectiua huius terminatiõis,clareo,pareo,varix,darius,naris,

A t

¶Mater,frater,laterna,matuta,ater,atis,ſatũ,natura,latus,a,um, quatinus, ſaturnus, ſtatim, vates,vaticinor,atrium, pratũ,latona. Plato & Cato corripiuntur.

A u

¶Clauus,claua, flaueo, flauus, gauiſus,ignauus, (lauiniũ & lauina variãtur) mauors,nauis,nauita,pauor,prauus,ſuauis,pauo,rauis,mauis.

E

¶E producitur ante d,& l.In diſſyllabis ante n,s, t,& v conſonantẽ:niſi in his,cedo pro dic,edo,es, pedes, & compoſita à pes,pedum,pedo,pedonis, ſcheda,ſchelis,gelu,ſcelus, velut,velim,celer,melos. In polyſyllabis etiã corripitur ante duas prędictas,niſi in his,ſedulus,ſeditio, eliſiũ, delubrũ, ſpelũca,elixus,a,um,elogiũ,heliodorus,pelion,pelignon,delibutus,elegãs.Ante n,s,t,& v,ꝓducit, niſi in his,enim,feneſtra,penes, penit⁹, penetro, penates,penu,genus,venus,venenũ,tener,ſenex, venia,venio,veneror,genius,tenus,tenuis,teneo, benign⁹,theſis,peto,fretũ,metuo,getæ,tetricus, metallum,veto,etiã. Breuis,leuis,ſeuerus.E alias conſonantes pręcedens corripitur.

APPENDIX PRODVCTORVM.

E b

¶Debeo, debilis, ebrius, hebe, thebæ, gleba, licet diphthongo ſcribi debent, vt phœbus, plæbes,præbeo.&c.

E c

¶Echo,lecythus,mœcenas,theca,ſecius,ſecurus, fex fecis,græcus.ſeculum,vecors:cæcus,& pręco, diphthongo ſcribenda ſunt.

E g

¶Lego gas, lex gis, legitimus, pegaſus, regula, tegula, gregorius. Alia diphthongo cognoſces: vt ęgeo, ægis, ægrotus.

E m

¶Demum, dęmon, demo, cremētum, mnemoſyne, nemo, remos, remex, remus, remigo, ſemen, ſchema, thema, temo, eminus.

E p

¶Cepus, repo, inde obrepo, ſepes, ſepio, ſepū, ſæpe, epirus, hepar, repens & repēte à repo breuiāt.

E q

¶Nequa, ſequana, nequaquam, æquus a, um.

E r

¶Pera, clericus, ceruſa, eridanus, eruca, feralis, feriæ, nereus, ſerus, a, um. ſerius a, um. hæres hæreo cum ſuis, plerięꝫ, quęro, ſphera, verū, ſeranus, erigone, heros, verus, a, um.

I

¶I producitur ante d, l, n, s, & v cōſonātē, & ante m, in diſſyllabis niſi in his, fides ei, fidelia, video, ideo, idem neutri generis, idoneus, quidē, mydas, cydonia, fulix, cilium, milium, pila, pilus, ſileo, ſtylus, hilaris, fimus, ſiligo, ſilex, ſino, lino, minus, tinea, linio, cinis, miſer, niſi, phyſis, criſis, vnde phyſicus & hypocriſis, quæ mediam breuem habent, bimus, trimus, & trima. In polyſyllabis etiā i ante m, niſi in his, ſimius & ſimia. I ante alias conſonātes breuiatur.

APPENDIX PRODVCTORVM.

I B

¶Fibula, ibernus, ibis, liber beri, libo, libas, ſcriba, ſibilus, tibia, tibur, gibus, libra, vibex, viburnum.

I C

¶Dico cis,ficus,Icar9,ico is,lichen,mica,pica,ſica,ſpica,tricę, arũ,triceni,ſpiculũ,vicus,vicinus, vicenus,tricenus,ſicut Nicolaus ſicania,ſicilia,cyclops,lycæus ambigua ſunt.

I G

¶ Fligo gis,figo gis, frigeo, frigus,bigę, trigę,piga, pigargus,viginti,triginta.

I p

¶Grypus,iphigenia,ripa,ſcipio,ſtipendiũ,ſtipa, ſtipes,pipo,ſtipo,tiphis,vipa,hypocrita breuiať.

I q

¶Liquor eris,liquidus eſt anceps: liqueo es, & liquor aris,ſemper correpta ſunt.

I r

¶ Chirotheca, ironia, pirata,piramis,ſtyria, miror:at breuiãtur,vireſco a vireo, pyra,pyrus,quirites,viri,lyra.

I t

¶Mitis,ritus,vita,clitella,clitorius,dito ditas, litigo,lis litis, nitor eris,titillo,titan, tytirus,titonus:italus variatur,& pituita (vitellus breuis eſt & lito as) Pitho & pythagoras, ꝓducũtur ſemp.

O.

¶O producit ante b,g,m,s,& ante d,t,in diſſyllabis:niſi in his,obelus,obex (quod tamen variatur) obolus,ſoboles,probo,globus,modus,modo, odor,rhodos,rogo,rogus,toga, logos, a quo logica,dialogus.coma,comes,domus.domo as,dominus,glomus,homo,omitto,comedo,omaſum,homerus, cometa, bromius, vomica, vomo, ſtomachus,roſa,proſœdia,poſui,oſiris.O præcedẽs alias conſonantes corripitur.

APPENDIX PRODVCTORVM.

O c

❡Ociũ,ocius,oceanus,poculum,cocitus,locuſta, Socrates,ocyor.

O d in polyſyllabis.

❡Clodi9,clodoueus, dodona,zodiac9(Sodales autem,odiũ,& fodio,correpta ſunt) Rodo, nodus, codex,producta in diſſyllabis.

O l

❡Boletus,bolus,prolixus, dolium, ſolor aris, colō,colo, as,moles,molior,nolo,nola,olim,proles, ſolus,ſolers,ſolennis,tmolus.

O n

❡Conor,pono, dono,nonæ arum, nonus, nonaginta,zona.ſi d vel p pręcedãt,producitur quoq; vt pronus,donũ.

O p

❡Copia,ſcropha,populus arbor, ſopio(ſemiſopitus breuiatur,& ſopor & ſoporo, item ſcopus & ſcopulus & cophinus.)

O r

❡Gloria, chorus ventus, morus, moria, florus, roro,prora,corã,doris,hora,ora,oro,ſoracte,thorax. Orion variatur.

O t

❡Clotho,ſcot9,lotio,poto,lotiũ,lotus,totus:quotus tamen breuis eſt,

O u

❡Ouum.

V.

❡V producitur ante c d f g m n r ſ t v,niſi in his, ducẽti,lucerna,lucrum,cuculus,cucumis, cucurbita,nucleus,trucido, Lucretia,ſtudeo,pudet,tudes,rudẽs,rudis,ſudes,(rudo ambiguũ eſt Ludouicus melius corripitur)fugio,fugo,iugũ,iugo as, pugil,tuguriũ,(variãt pugillares)hum9,humilis,

humerus,cumulus,rumex,tumeo, tumultus, nu-niſma,pumilio:cuneus,cuniculus, tunica, furor, furo is,furiæ,nurus,curulis,ſpurius,curius,puſil-lus, ſuſurro, ſuſanna,cutis,frutex,putris, lutum, puto,puteus,vter, vti pro ſicut, iuuentus, iuuo, pluuia,fluuius.

Ante alias conſonantes v producitur.

APPENDIX PRODVCTORVM.

V b

❡Bubo,cubus,glubo,lubricus,nubo,vber,ra, rũ, iubilo,pubes,rubigo,ſuber,ſubula,tuber neutrũ, (connubium variatur). Bubulcus, & ſubucula, & iuba,vbi,corripiuntur.

V l

❡Fuligo,mulus,mula, culus, culeus, dulichium, pulex,pulus,vligo,Iulius, Iulianus (gula, & cu-lina,& mulier,correpta ſunt.)

V p

❡Cupa, nuper, pupus, rubes, pupillus, pupilla, ſcrupulum ,ſtupa ,vpilio,pupa.

V t in polyſyllabis.

❡Futio,futilis, glutio,mutius, puteo putes, mu-tuo,mutuus a um,nutrio,q̃uis hoc vltimũ corre-ptum inueniatur identidem.Alia correpta ſunt: vt rutilus.

PRO MEDIIS SYLLABIS.

A

A Producitur in medijs ante g & v cõſonan-tẽ,niſi in hac dictione,naufragiũ,patauiũ. Itẽ cartilago, onager, pelagus,pãphagus, chiragra, batauus eſt anceps.

In alijs conſonantibus corripitur a in medijs.

APPENDIX PRODVCTORVM.

A B

¶Verbalia in bilis & in bundus, a verbis primæ, vt amabilis, lętabundus, & nomina in abulum, vt venabulũ, & dolabra, candelabrũ, volutabrũ, ſimiliaq; huius terminationis, amabo ſiue verbũ ſiue interiectio.

A C

¶Nomina in aculus, vt vernaculus: acula, nouacula: aculũ, vt cœnaculũ: in aceus, vt herbaceus: in cius, vt Petacius, Bonifacius, itẽ cloaca, iracũdus, meracus, opacus a um, ſatracũ, ſyracuſæ.

A d

¶Conradus, cicada.

A l

¶Deriuatiua in alis & ale, vt animalis, animale, item canalis, æqualis, magalia, mapalia, ſandaliũ, ſardanapalus, ſodalis, pharſalus, Bacchanalia, & ſimilia.

A n

¶Nomina in amen & amentũ, vt examẽ, calceamentum, contamino, dictamus, thymiama.

A m

¶Deriuatiua in anus, aneus, anis, vt faſian9, inanis, extrane9, aranea, bacchanalia, lupanar, collectaneus, mõtanus, vrbanus, diana: ſed corripe organum, dardanus, eridanus, Rhodanus, Sequana.

A p

¶Iapis, iapetides, iapix, neapolis, ſynapis, priap9.

A r

¶In aris & are deriuatiua, vt pugillaris, molaris, altare, & in arius, vt aquarius, denarius, nefarius, amaracus, amar9, auar9, tiara, in huiuſmodi deriuatiuis vidẽdum eſt an a primitiuis breuibus veniãt, vt tenari9 a tenarus, barbaricus a barbarus, margarita corripitur ſemper.

A s

Agaſo,amaſis,amaſius,gymnaſiũ, omaſum, perſnaſus, Iaſon.

A t

¶Deriuatiua in atus,in aticus,in ator,vt tunicatus,pallatium, pallatinus, viaticum, ſenator,ſic vicatim,cicatrix,pirata, theatrum, palatum, ſolatium,Horatius,Leucate,Achates, Mithridates (Hippocrates tamen & Calliſtratus & Antiphates breuiantur) Produc etiam aduerbia in atim, certatim,cateruatim, turmatim, præter affatim quod corripitur.

E.

¶E producitur ante c,d,l,m,n,t,v conſonantem, niſi in hac dictione Seneca, Senecio, Ezechias, Berecynthus, Eſſedum i, o, Empedocles, Macedon,Lacedæmon, remedium, cathedra, ardelio, Menela9,Praxiteles,Semele, (Cybele variatur) Ariſtoteles,Angelus,Obelus,Sepelio, Penelope, Neoptolemus,Triptolemus, Alemania,Artemiſia,Elementum,vehemens,Diogenes,iuuenis,ingeniũ,Helenus, Helena,hebenus, ingenuus, aduena, martigena,progenies,Parthenope,melpomene,Porſena,Demoſthenes, pietas,varietas,& cætera huiuſce terminationis,amethyſtus,archetypus,feretrũ,vietus,veget9,meretrix, penetro, phlegetõ,iapetus,Trieteris,venetus, maſſageta, obſtetrix (Paracletus longum eſt.

Ante alias corripitur e.

APPENDIX PRODVCTORVM.

E B

¶Delebilis,& ſimilia:corebus.

E F

¶Veneficium:compoſita à facio & fio variantur.

E G

¶Cethegus, collega, & collegium.

E P

¶Ioſephus, præſepe, præſepio, alia diphthongo cognoſcuntur.

E R

¶Propria ferè producũtur, cythera, & alia vt ſeuerus, aſſeuero, arteria, auſterus, cratera, dicteriũ, & ſimilia, galerus, pãthera, ſtatera, trieteris, chimęra, megęra, machęra, neęra, procer⁹, ſyncerus, pomerium, myſteriũ, pſalterium, &c. Citherea, Cicero, Tiberis, Acheron, correpta ſunt.

E S

¶Numeralia quæ habent vocalem e ante ſimus, vt viceſimus, itẽ carcheſium, catachreſis, diœceſis, eccleſia, Ieſus, matheſis, marpeſus, mileſius, poeſis, phreneſis.

I.

¶I producitur ante q, & v, niſi ſiliqua, vtiq́, aliquis, reliquis, vndiq́, niniue. rediuiuus primã mediam corripit, quam conniueo producit.

Alibi corripitur.

APPENDIX PRODVCTORVM.

I B

¶In bilis & bundus ſi deriuatiua veniãt à verbis quartę coniugationis, I producunt, vt ſitibundus, cupibilis. Si à verbis tertiæ, corripiuntur, vt furibundus, terribilis.

I C

¶Nomina deducta in Icus, vt henric⁹, vlric⁹, Ludouicus, item amicus, anticus, poſticus, apricus, apicius, craticula, canicula, cuticula, clauicula, cuniculus, conuicium, febricito, formica, lorica, lectica, matricida, mendicus, pudicus, periculum,

ſedimiculũ,ſiticuloſus,ſomniculoſus, vmbilicus, viticula,veſica,vermiculus,vrtica,pediculus.

I D

¶Denominatiua in ido,vt formido,libido,cupido,item patronymica in ides,vt achillides,pelides,ita ſi recte formantur à nominibus in eus,vt theſeus theſei theſides. nam cętera corripiuntur, vt priamides, itẽ acidia, producitur chelidonia, faſtidio,(poſtridie ambigue & quotidie) Thucydides,euclides,dauidis, longantur.

I g

¶In igo nomina,vt ſiligo,porrigo nomen,caligo verbum,caſtigo,fatigo, faſtigium,auriga(pręſtigiæ reperiũ indifferẽs)quadrigę,vectigal,veſtigo.

I l

¶Nomina in ilis & ile à nomine deducta,vt quintilis, ſextilis, ſuile,bouile,itẽ aſylum,atilius,crocodilus,eryphile, manilius, maſſilia, veſpertilio. Corripiũtur illa quæ habent a ante tilis, vt ſaxatilis,aquatilis,& hæc,humilis, parilis & dapſilis, ſicut ea quę a verbis fiunt,vt fiſſilis,agilis,facilis, docilis.

I m

¶Theotim9,ſublimis, elimino,ilimis,enthymema,opimus a um,pẽtimemeris,quadrimus a um, & quæ fiũt a verbis quartæ,vt veſtimentũ,lenimen,munimẽ,blandimentum,& rudimentum.

I n

¶In ina & ine,vt rapina,adraſtine, nerine, ſagina,(elemoſyna tamẽ corripiũ,aſina,buccina, fœmina, ſarcina, & cætera)ſardinia,Tarquinius:in inus a um, deriuatiua, vt peruſinus, clãdeſtinus, mediaſtinus,matutinus,veſpertinus,(corripiunt tamẽ craſtinus,diutinus,ſerotinus,perẽdinus,pri

ſtinus,protinus,quatinus,ſiccine)tricliniũ,caminus, catinũ,feſtino,puluinar,opinor, longa ſunt feſtinus,ſupinus,echinus,omnino. Alcinous breuiatur.

I p

¶Eurypus,conſtipo,manipulus.

I r

¶Butyrũ,buſyris, delirus,oſiris,papyr9,ſemiramis.

I s

¶Anchiſes,cãbiſes,eliſa,heliſos,moyſes,paradiſus,diuiſus.

I t

¶Deriuatiua in ites & ita,vt leuites,item therſites,leuita, eremita,in itus quoq;,vt auritus, melitus,maritus,& in itius,(niſi fiat a nomine,vt patritius,tribuniti9)ſuppoſititi9, fictitius,itẽ aquitania,amphitrite,architas,cocyt9,fortuitus,hermaphrodit9,heraclitus,inuitus,irito,paraclitus, paraſitus, (ſeruitus,blanditiæ, ſicut nomina tertiæ decl. in itas,vt lenitas, bonitas,corripiuntur.

O

¶O producitur ante n,s & r,niſi in his,matrona pro fluuio,aconitũ,alcyone,harmonia, erichthoni9,heſione,pãnonia,ironia,geriones,antigonus, Tiſiphone(producit cõcionor,dodona, matrona à mater,Dionyſi9 eſt anceps) Ambroſia,ſympoſium,eleemoſyna,mnemoſyne cynoſura,antidoſis, antidotum,deiotarus,correpta ſunt.

Alibi corripitur fere o.

APPENDIX PRODVCTORVM.

O B

¶Iacob9,october,vtrobiq;(cœnobiũ corripitur)

O C

¶Lenociniũ,latrocinor,patrociniũ, & ſimilia huius terminationis,pręfoco,ſuffoco(quãdocũq; eſt

anceps.)

O D

¶Cuſtodis,cuſtodia,cuſtodio,palinodia,epodos, herodes.

O G

¶Iſagoge,paragoge,pædagogus,ſynagoga,octoginta (ægloga corripitur)

O L

¶Bibliopola,pharmacopola,& ſimilia, capitoliũ idolũ,mediolanũ,ſubſolanus,pactolus,pręſtolor.

O M

¶Cynamomũ,axioma,idioma,(hippomanes autẽ & epitome corripiũtur)Cenomanus producit.

O P

¶Anthropos,conopęũ,europa,canop⁹,pyropus, æſopus,hydropiſis,iopas,pſopopœia,(Calliope, apocope,ſycophãta,Rhodope,theophilus, theophorus corripiuntur.

O R

¶Deriuatiua à longis,vt ſenatorius, prætorius, olorinus,ſonorus,canorus,itẽ neutra in orium,vt tẽtoriũ,portoriũ,tectoriũ,itẽ apollodor⁹,& ſimilia,aurora,meteor⁹,Sertori⁹,cẽſorius,ſycomor⁹.

V.

¶V producitur ante c,d,g,m,n,r,s & t,niſi in his, volucer,educo as,bardocucullus,Dryudę,Repudium,tripudiũ,erudio,cõiugium,nocumentum, emolumentum,incolumis,columella,monumentum,& illa quæ ſunt ſimilia deſcendentia à verbis ſecundę,cucumis,contumax,cõtumelia,poſthumus, Centurio, tuguriũ,ſaturo,purpura, vulturis,luxuria,eſurio,eſuries, luxurio, aliaq; ſimilis formæ verba (præter ſcaturio & ligurio,quæ producuntur)Brunduſium, peruſinus, arbutus, defrutum,diuturnus.

Ante alias conſonãtes ſimplices corripitur v.

APPENDIX PRODVCTORVM.

V B

¶Delubrũ, ſaluber,ambubaiæ, ſolubilis,volubilis,& ſimilia (connubium variatur.)

V L

¶Deriuatiua in vlis:vt tribulis,curulis,edulis,ſic edulium. Itẽ thraſibulus,cleobulus,apulia,getulus,amulius,adulor,adoleſcens,iulus,peculium.

V P

¶Marſupium (vitupero,decuplũ, nuncupo,quadrupes, aucupium,aucupor,breuiantur.)

¶Si aliqua forte deſiderantur quæ breuitati conſulentes omiſimus,a quibus ſunt tractata fuſius, illa repetite.

¶De vltimis paulopoſt dicetur, cum artem qua cuiuſcunque dictionis quantitas dignoſci poſſit præſcripſerimus via compendioſa.

¶Omnis igitur ſyllaba octo modis quanta ſit dignoſci poteſt,diphthongo,poſitione,præpoſitione,compoſitione,deriuatione,vocali ante aliam, regula,& exemplo.

DE QVANTITATE DIPHTHONgo cognoſcenda.

Diphthongus,ſi Probo aliiſq; grãmaticis credimus, eſt cõcurſus duarum vocalium in eadem ſyllaba vim ſuam retinentium. Priſcianus autem quatuor eſſe aſſeuerat apud latinos,æ.œ.au. & eu.ſunt qui quintam addunt ei, vt omneis,treis. Regula.

¶Omnis ſyllaba diphthõgo ſcripta lõga eſt: niſi aliquando in hac voce præ,quæ corripitur ſequẽte vocali:vt apud Virgilium.Sudibuſve præuſtis,

Corripiunt etiam nonnũquàm poëtæ diphthon-gum ſequente vocali: quibus ſua in hac re licentia vti permittitur. Virgilius.

Inſulæ Ionio in magno te dira ſereno.

Sed ſatis vobis fuerit diphthongũ omnẽ lõgã eſſe cognoſſe, quid alij licẽter faciant, nõ curantibus.

DE QVANTITATE POSITIO-ne cognoſcenda.

VOcalis alias breuis producitur ſi eã ſequantur duæ conſonãtes aut vna duplex in eadem dictione, & nõnũquã in duabus, quãdo ſcilicet dictio deſinit in conſonãtem, & ſequẽs dictio à conſonante incipit: vt

Infandum regina iubes renouare dolorem.

Sin vero dictio deſinat in vocalem breuẽ, ſequẽſq; incipiat à duplici conſonãte: licet diſceptant pleriſque quanta vocalis illa vltima ſit, nihilominus tamen breuem eſſe dicimus.

¶ Quãdo muta & liquida in eadẽ ſyllaba ſequuntur vocalem natura breuẽ, vocalis illa indifferens eſt: vt pater primam habet breuem, in obliquis autem in quibus eſt & muta & liquida, eadem ſyllaba modo breuis, modo longa eſt: vt

Vergilius.

Albanique patres, hæc ſyllaba pa, hic breuis eſt.

Alibi.

Hac celebrata tenus ſancto certamine patris. hic longa eſt. Ouidius.

Et primo volucri ſimilis, mox vera volucris.

Dictio etiã quę deſinit in s, & ſequens à cõſonãte incipit, vocalis vtrãq; conſonantẽ pręcedens non neceſſario producitur, quia s aliquãdo colliditur licentia: vt viſum eſt. Ennius.

Vincit olympia: ſed ſenio confectus quieſcit.
¶Mutę nouem ſunt.b.c.d.f.g.k.p.q.t.
Liquidæ ſunt quatuor.l.m.n.r.
Conſonantes ſunt fere aliæ literæ à vocalibus.
Duplices ſunt x.& z,vt Gaza.maximus.
V,ſimiliter & i,nonnunquam conſonantes ſunt, quinimo pro duplicibus habentur,quando videlicet cũ alia vocali ſonant,vt viuo,maior.

DE QVANTITATE PRAEPOSItione cognoſcenda.

TAnta eſt præpoſitio n cõpoſitione,quanta eſt in appoſitione.Hæ autẽ prępoſitiones fere longæ ſunt.

a vt,amitto,uello.
e vt,euado,educo.
de vt,deditus.

Niſi ſequatur vocalis,vt deorſum,deinde.

Horatius in arte poëtica.

Vt ſpecioſa dehinc miracula promat. Deeſt autẽ & deeram,as,at.deero,is,it. nonnũquam habẽt primam longam liquefacta altera vocalium.

Lucanus.

Non d' eſt pro toto ieiunus venditor auro.

Prę. vt,prępono.

Niſi ſequatur vocalis,vt præacutus,pręuſtus.

Ouidius.

Viderunt pręacutę cuſpidis haſta.

Vergilius.

Stipitibus duris agitur,ſudibuſve præuſtis.

ſe. vt,ſeduco,ſepono.

Breuiatur autem ſequente vocali,vt ſeorſum.

di. vt,dirigo.

Niſi in ijs,dirimo,diſertus.

ad	
ab	
ob	ſemper corripiũtur in ap-
ſub	poſitione,& in cõpoſitiõe.
per	Niſi ſequatur conſonans.
in	

Re,in cõpoſitione breuiatur ſi imme-
diate nõ ſequatur duplex conſonans.
Refert autẽ pro intereſt ꝓducit,quia nõ a prępo-
ſitione inſeparabili re,ſed a noĩe res rei deducit.

Pro,longatur vt promitto,propono.
Quæ autem ſunt breuia,a procul cõponi credun-
tur:vt profugus,profundus,profuſus.

DE QVANTITATE COMPOSI-
tione cognoſcenda.

IN compoſtis tãta eſt ſyllaba,quantã in ſim-
plicibus eſe videmus. Sed ad cognoſcendam
quantitatẽ ſimplicis,ad cõpoſitũ magis recur
rẽdum eſt:vt ſi te lateat quãta ſit hęc ſyllaba po,
in pono:in cõpoſitione cognoſces accẽtu demon-
ſtrante.Nemini enim,credo,obſcurũ eſt,ne igna-
ro quidẽ,qualis eſt harũ dictionũ cõpono,prępo-
no,impono,depono,accẽtus. Nec obuiabit quicq̃
regulæ ſi vocalis mutetur in cõpoſito quæ erat in
ſimplici: vt à facio,ꝑficio,inficio: ab ago,redigo,
adigo,corripiũt mediã compoſita,ſicut ſimplicia
primã correſpõdentẽ.Parricida,homicida,mediã
producunt,ſicut ſimplex ſuum cędo,primam.
Hæc tamen compoſita correpta excipiuntur,quę
à ſimplicibus longis deducta ſunt
Innuba.
a nubo.
Pronuba.

Vnde illud Ouidij Pronuba Cteſiphone. Connubium indifferenter poni video.

Ouidius in libris Heroidum.

At mea deſpecti fugiunt connubia Thraces.

Virgilius.

Connubio iungam ſtabili, propriamq; dicabo.

Cauſidicus.

Dicax. a dico.

Fatidicus.

Falſidicus.

Semiſopitus, a ſopitus. Quod autem ſopitus producatur, habes exemplum Virgilij.

Hunc ego ſopitum ſopno ſuper alta Cytherá.

Semiſopitus autem corripitur apud Ouidium.

Purpureo iacuit ſemiſopita thoro.

Cognitus

Agnitus. a notus.

Deiero á iuro.

Peiero

Suffio. a fio.

Infio.

Nihilum. ab hilum.

Compoſita longa á breuibus ſimplicibus.

Comitium ab itum. Conuitium á vitium.

¶ Nõ te lateat inſuper quãdo prior cõpoſiti pars deſinit in i, ipſum i corripi ſæpe: vt tibicen, fidicen, liricen, agricola, artifex. Excipiũtur tibicen, quadrigę, ibidem, vbiq;, vnicuiq;, quanticunque, vbicunque. Licet hoc poſtremũ inueniam indifferens, ſicut quotidie, & poſtridie.

Ouidius.

Seruor vbicunq; eſt, vni mea gaudia ſeruo.

Idem.

Te dea numificæ gentes vbicunq; loquuntur.

Martialis.

Cultus ſindone tu quotidiana.phalecium eſt.

Catullus.

Coniugis in culpa flagrabat quotidiana.

DE QVANTITATE DERIVAtione cognoſcenda.

FIt etiam fere vt deriuatiua primitiuorum quantitatē habeant:vt clamor a clamo,amicus ab amo. Nec mirum tibi videri debet ſi præterita & ſupina plerũq; diſcrepent à quantitate ſui verbi præſentis tēporis:quoniã præterita & ſupina diſſyllaba cũ tēporibus formatis ab illis primã regulariter producunt:quã non eſt neceſſe produci in præſenti:vt fugio,primã corripit cum temporibus ab illo deductis:fugi autem cum ſuis condeclinijs eandem producit.Nihil pręterea obſtabit quo minus diuerſa ſit quantitas deriuatiui & primitiui,ſi eadem litera nõ ſequatur vocalem in deriuatiuo,quę in primitiuo ſequebatur:vt mobilis primam ſyllabam mo,producit:quæ tamen correpta eſt in moueo. O non præcedit eandem vbiq; conſonantem.

Hæc deriuatiua longa à primitiuis breuibus ferè ſunt.

Lex egis	a lego.	Sedes	a ſedeo.
Vox,cis,	a voco.	Regula & regē,a Rego.	
Humanus & humor,		ab humo.	
Vitupero,	a vitium.	Vires,	a vireo.
Vomer,	a vomo.	Macero,	a macer.

Longeplura obuia erunt qui diligētius exquiret.

Deriuatiua breuia à longis primitiuis,

Hæc.

Coma a como.		dux,cis.	a duco
Cauſidicus,		& dicax,	a dico.
Vitium a vito.		diſertus,	a diſſero.
Sopor a ſopio.		lucerna,	a luceo.
Acerbus ab aceo.		arena,	ab areo.

¶Sed quia propter immenſam pene multitudinē omnia commode enumerari non poſſunt,& quia ab alijs ampliſſime collecta eſſe cōſpicuū eſt,illis enumerandis ſuperſeſſum fuerit.

DE QVANTITATE VOCALI ante aliam cognoſcenda.

OMnis vocalis pręcedēs aliam in latinis dictionib9 corripit:vt dies,filius.Excipiunt huiuſmodi genitiui, vnius,ipſi9,illi9,&c. quos ſubinde correptos inuenias. Alius in genitiuo ſemper producit i vocalē,quā ſemper corripit alterius:niſi in verſu illo Terētiano, Secuplos vel vna vincet alterius ſingulum.Qui quidem verſus trochaicus eſt authore Priſciano. vij.habens pedes & ſyllabā.in primo,ſecundo,quarto,quinto, ſeptimo trochęus eſt,cōſtans ſyllaba longa & breui.in tertio & ſexto pedibus eſt ſpondeus. Excipiuntur etiam genitiui & datiui quintæ declinationis,quib9 eſt e ſola in penultima:vt diei, ſpeciei.

¶Item fio cū compoſitis & cum tēporibus in quibus non eſt hęc litera r,vt fiebam,fiam,defio,defiebam.ſuffio autē & infio penultimā corripiunt Aldo aſſertore.

¶In gręcis dictionib9 fere producitur vocalis ante aliam,vt clio,thalia,aer,æolus,orion,pierus.

Pierus has genuit pellæis diues in aruis. Acteon. Acteon ego ſum, dominum cognoſcite veſtrum. Aeneas, troes, Achileus, cythereus, Rhodopeius, elegeia. quanuis ſophia, tragœdia, comœdia, breuem habeant penultimam.

DE SYLLABIS REGVLA. COgnoſcendis. Prima regula.

¶Omne prēteritū duabus ſyllabis præciſe cōprehenſum primā producit: vt vidi.
Excipiuntur ſex, bibi, dedi, fidi, ſcidi, ſteti, tuli.

Alia regula.

¶Omne prēteritum geminans primam ſyllabam eandem corripit, vt fefelli, pepuli. Cēterorum autem præteritorum polyſyllaborum tanta prima eſt, quanta eſt prēſentis, niſi hēc, coëgi à cogo, genui a gigno, poſui a pono, potui à poſſum.

Alia.

¶Omne ſupinum duas tantum habens ſyllabas primam producit: vt viſum.

Niſi hæc.

Citum	a cieo.	
Datum	a do.	male à pleriſque qui
Itum	ab eo.	dogma Priſciani nō
Litum	a lino.	viderūt, hoc ſupinū
Quitum	a queo	ſtatū corripitur, licet
Ratum	a reor.	ab eo deducta, ſtat9,
Rutum	a ruo.	a, um, ſtabilis, ſtatio,
Satum	a ſero.	correpta ſunt. Sta-
Situm	a ſino.	turus primā produ-

cit, ſicut ſtatum ſimplex.

Regulas ex induſtria omittemus quibus quantitatem nominū per crementū ſcire poſſitis, tū quòd immēſi pene laboris

eſſet omnes in locum hunc tam arctum colligere:tum quia;ſtudioſi nõ grauabuntur petere,a declinationibus Deſpauterij quicquid in hac re ſcitu dignum iudicabitur. Cæterum huiuſmodi accentus ſcientia, veraq; emendate loquendi facultas optime parabitur, ſi erudito præceptori hæſeritis,qui aperte & expedite pronunciare nouerit:cuius oratio pręter quod caſtigatiſſima erit,auditoribus quoq; ſua illecebra blandiatur. Illius ſiquidem conſuetudine vſi,voces reddetis ex eius vocibus, & ex ſonis ſonos, vt quidam ex canum latratu latratum perinde ac canes edunt,aut à rudentibus aſellis aſellos ſubinde agere didicerunt. Habet certe neſcio quiddam magnũ,ſtatim optimis admonitum eſſe ab ijs qui vere ſciunt,nõ ab iſtis ſimiolis,qui cũ nihil minus ſunt atq; id quod fronte promittunt, miro ſupercilio ſibi arrogant peritiam eius linguę,in qua tamen hoſpites apparent ſiquando hiſcant velut ex olla fictili è naſo voculas aliquot deprõpturi.Inſcite nẽpe ita & inemendate cum ſtribiligine proferunt abſq; mẽſura & accentu, vt quæ ringendo loquũtur parũ experto Vãdalica videri poſſint aut Teutonica gallo.Iſti(vel ita me deus amet) magno docent adoleſcẽtulos inſipide ſapere,ſui ne quęſtus magis,an tyronũ ratione habita,nec ſatis ſcio, nec ſi ſciam dicere auſim. Quod in hoc dixerim, vt protinus diſcatis ab artis diſcendi peritis recte ſonare latinas dictiones,ne dum diutius ſciolis quibuſdã literatoribus cõuiuatis,fructꝰ vobis pereat, & opera,prauuſq; inhæreat pronunciandi vſus,qui non niſi magno negotio reuelli poſſit.Nec,velim,cõmittatis vt ea docti ſitis quæ poſthac dediſcenda

fuerint,nō ſine magna rei & tēporis iactura,quiſ‑buſve tātum operæ locaſſe vos tandē pœniteat q̄ maxime.Plus hic habebit energiæ viua vox eruditi præceptoris,q̄ ſexcentę de accentibus pręceptiones.hæ potius extundunt,illa magis afficit.

¶Sit hæc regula pro crementis pluralibus nominum.

¶A,e,& o,ſemper producūtur in crementis pluralibus,id eſt in ſyllabis excedentibus accuſatiuū pluralem,vt dominarum, dierum,deorum.
I,& v,ſemper corripiuntur, vt panibus,corporibus,manibus,verubus,quæſtubus,qūercubus.

DC CREMENTO VERBORVM regulæ aliquot.

PRimum crementū in verbis debet ſignari ſuper illā ſyllabam quæ correſpondet vltimæ ſyllabæ ſecūdæ perſonæ præſentis indicatiui modi,& ſecundū ſupra ſequētem, & tertium ſuper aliā: vt amaueramus,ma, primū crementum eſt:ue,ſecundū:ra,tertiū:vltima autem ſyllaba nunq̄ facit crementū.

¶A in omni cremento producitur vbiq; niſi in do,& ſuis compoſitis primæ coniugationis.

¶E producitur in omni cremēto,niſi ſequatur r.

In quibus temporibus corripitur e ſequente r.

¶In pręterito pluſq̄ perfecto cuiuſcūq; verbi actiuæ vocis,vt amauerā, docuerā, legerā, audiuerā.
In optatiuo verborū tertiæ coniugationis tā paſſiuæ quàm actiuæ vocis,vt legerem,legerer.
In præterito & futuro cōiunctiui actiuę vocis cuiuſcunq; coniugationis, vt amauerim, amauero, docuerim,docuero,&c.

In præſenti infinitiui in tertia coniugatione, vt legere.
In præſenti indicatiui verbi paſſiui tertiæ cõiuga tionis, vt legeris, vel legere.
In præſenti imperatiui eiuſdem & vocis & cõiu gationis, vt legere.
In his vocibus beris, & bere, vt amaberis, bere, do ceberis, bere, operiberis, experiberis. Producitur autẽ fere alibi, & potiſſimũ in verbis ſecundę cõ iugationis, vt docerẽ in optatiuo, docere in infini tiuo: & in prȩterito perfecto indicatiui cuiuſcũqꝫ cõiugationis, vt amauerũt, docuerunt, legerũt, au diuerũt: & in hac ſyllaba reris vel rere vocis paſ ſiuæ, vt legereris vel rere: & in futuro indicatiui verborum tertiæ & quartæ: vt legeris, audieris.

I

¶I in primo cremẽto verborũ quartæ cõiugatio nis (niſi in præteritis) producitur, vt audimus, au dimur: quibꝰ addere potes iſta, velimꝰ, velitis: ma limus, malitis: nolimus, nolite: ſimus, ſitis. In ſecũ do autẽ cremento, & in alijs cuiuſuis alterius cõ iugationis verbis corripitur, niſi forte in futuro coniũctiui. Ennius.

Nec mi aurum poſco, nec mi pretiũ dederitis.

Ouidius.

Hauſtus aquæ mihi nectar erit, vitamqꝫ fatebor
Accepiſſe, ſimul vitam dederitis in vndis.

O.

¶O producit vbiqꝫ, vt amatote, legitote, eſtote.

V.

¶V ſemper corripitur, vt adſumus, volumus.

DE QVANTITATE EXEM plo cognoſcenda.

¶Si nullus modorum quos prelibauimus, ſuggerat alicuius dictionis neſcitā quantitatem, opus fuerit ad certi poetæ confugere authoritatem & exemplū, a quo tutiſſima petetur quātitas. Ignoranti nempe quātam habeat primā hoc verbum alo, tibi demonſtrabit Virgilianum illud.
Vulnus alit venis, & cæco carpitur igni.
Si prima huius verbi rideo tibi ignota ſit, pete a Iuuenale.
Loripedem rectus derideat, æthiopē albus. In qua re velim a vobis impetratum, vt ſemper ex receptiſſimis quendam poetam præ manibus habeatis, ne vos tandem pœniteat operæ inſumptæ in terendis quorundam literatorū voluminibus. In illis ſane fructus eſt: in his opera luditur.

DE VLTIMIS SYLLABIS.

QVoniam dictiones aliæ in vocales, aliæ in conſonantes deſinunt, non fuerit ab hac re alienum, ordinem alphabeticum in vltimis tractandis ſequi.

A

¶A terminatæ dictiones producūtur, vt hac muſa, ab hac camœna, in ablatiuo. Ama, cāta, in imperatiuo. O Aenea, o Atla, in vocatiuo nominis græcanici. Interea, fruſtra, citra, circa, erga, &c. In alijs indeclinabilibus.
Excipiūtur nominatiui & vocatiui nominum latinorum primæ declinationis.
Item nominatiui, accuſatiui, & vocatiui plurales ſecundæ vel tertiæ declinationis in neutris. Nomina autem in ginta, ambigua ſunt, vt quadraginta: in genta, correpta, vt quadringenta.

B

¶B vbiq; corripitur,vt ab,ob, niſi in quibuſdam barbaris,vt Iacob.

C

¶C producitur,vt illuc,huc,iſtuc,dic,duc,alec. Excipiũtur,nec,donec,lac,hoc, in nominatiuo,& accuſatiuo:& hic.Niſi forte facta colliſione fiant ab hiccine,hoccine, vt apud Virgiliũ. Hoc opus hic labor eſt.Et apud Perſium.At pulchrũ eſt digito monſtrari,& dicier,hic eſt.Fac ambiguũ eſt.

D

¶D ſemper corripitur,vt quid,quod,illud,apud, ſed.niſi forte in Dauid.

E

¶E breuiatione gaudet,vt cubile,ipſe,iſte, patre,docere.Niſi in dictionibus gręcanicis,in omni caſu huius terminationis,vt penelope.
In nominibus quintæ declinationis,vt die: & cõpoſitis,vt hodie,quotidie.
In ſecunda perſona præſentis imperatiui ſecundæ coniugationis,vt doce.
In his pronominibus me,te,ſe,& aduerbijs recte a datiuo nominis in o formatis,vt pulchre, belle: quibus addimus valde, fere, ferme, ohe interiectionem.bene & male corripiuntur omnino.

H

¶H ſi quas dictiones terminet, producta eſt,vt proh,veh,Ioſeph.

I

¶I finitę dictiones producuntur,vt domini,legi, docui, doceri, amari. Niſi in datiuis & vocatiuis gręcanicis,vt huic palladi,o alexi,& his,niſi,quaſi. Mihi autem,tibi,ſibi,vbi, ibi, communem ha-

bent vltimam.

L

¶L corripitur,vt animal,nihil,mel,fel.excipiuntur ſol,nil,& barbara,michael,gabriel.

M

¶M breuiationi ſubeſt.

N

¶N lõgatur,vt pan,pęan,ænean,en,ſyren,quin,delphin,non,dęmon.
Excipiuntur nomina neutra tertiæ declinationis habentia inis in genitiuo,vt carmen,inis: & maſculina,pecten,flamen,tubicen.
Item hęc,forſan,forſitan,an,tamen,attamen,in,proin,viden,& nominatiui accuſatiui & vocatiui in on,vt ilion: in in,vt alexin,daphnin:& in an,a nominatiuis breuibus in a,vt iphigenian.

O

¶O cõmunem habet quantitatẽ,vt amo,leo,virgo,amando.Producitur tamen in datiuis & ablatiuis ſecũdæ declinationis,vt viro: in quibuſdam græcis habentibus o magnum, vt dido, ſappho.
Et in monoſyllabis,vt do, ſto,pro,&c.
Corripitur autẽ in iſtis,ſcio,& cõpoſitis:duo,modo,illico,cito,quomodo,ego,quando. O aduerbiũ ſequente vocali aliquando producitur.

Horatius.

O & præſidium & dulce decus meum.
Quandoq; corripitur. Virgilius.
Te Crydon, o Alexi trahit ſua quenq; voluptas.

R

¶R finita dictio corripitur,vt vir,murmur,amatur,docetur.Excipiuntur hæc monoſyllaba, far, lar,nar,ver, fur,cur.
Itẽ a græcis deducta,aer,crater,æther,character.

Pater autē & mater omnino correpta ſunt. Cor, ambiguum eſt.

As.

¶As terminatę dictiones producũtur, vt ciuitas, muſas, amas, doceas, legas, audias.
Corripiuntur, quorum genitiuus deſinit in dos, vt pallas, arcas, & eorũdem accuſatiui plurales, vt arcadas, cum multis alijs: vt troas, garamantas, heroas, rhetoras, crateras, dæmonas.

Es.

¶Es producitur, vt anchiſes, proles, ames, doces, leges, audies. Excipiũtur accuſatiui plurales: quibus in genitiuo ſingulari erat hæc terminatio os, vt arcades, & cyclopes.
Item quibus eſt genitiui creſcẽtis penultima correpta, vt miles, eques, diues, ſuperſtes.
Item ſecunda perſona huius verbi ſum cum cõpoſitis, es, ades, potes: & penes præpoſitio.

Is.

¶Is finitæ dictiones corripiuntur, vt ignis, lapis, legis. Excipiũtur datiui & ablatiui plurales nominũ primæ & ſecundę declinationis, vt muſis, dominis, quis pro quibus.
Item nomina producentia penultimam genitiui creſcentis, vt ſamnis, lis, & quædam græca, vt ſymois: necnon ſecunda perſona pręſentis indicatiui verbi quartæ coniugationis, vt audis.
Item hæc, vis, ſiue nomẽ, ſiue verbũ: ſis, velis, nolis: & in futuro ſubiunctiui audieris: quod videre licet in illo Ouidij. Da mihi te placidum, dederis in carmina vires.

Os.

¶Os producitur ſemper niſi in nominatiuis & ge-

nitiuis græcanicis, vt cahos, melos, pallados, Aeneidos. Et in his, impos, compos, os, oſſis.

Vs

¶Vs corripitur vbiq;, niſi in nominibus quibus eſt penultima genitiui lõga, vt ſalus, palus, incus, Et monoſyllabis, thus, mus, ſus, plus, rus. Et quibuſdam græcis, vt œdipus, polypus, ſapphus.

T

¶T breuiatione gaudet, niſi aliquando in verbis ſyncopatis. inde Iuuenalis. Confiſus perijt, admirandusq; lacertis.

V

¶V producitur vbiq;, vt cornu, veru, gelu, diu, noctu. Quemadmodum x, vt fornax, grex, maſtix, nix. ¶Hactenus de dictionum quãtitate hęc aliquãto rudius dicta ſatis vobis fuerint. Multis enim ſuperſeſſum volui ſciens, quibus nõ tã eruditum iri quàm obrutũ veſtra ingenia credebã.

FINIS.

EX RE VESTRA puto fuerit nonnihil adieciſſe ex poeticis illis circũlocutionibus, quas periphraſes vocant: ac velut organa quędã locos cõmunes, quibꝰ ad poeticã iter eſt, aperuiſſe, vt vobis ſit in manu quaſi quibuſdã diuitijs & ornata ſentẽtiarum ſupellectile carmen multo locupletius reddere. Quorundam enim ſterilia plane & ieiuna cõſpiciuntur poemata, ꝙ nihil in his operę locauerũt: aliorũ phœbæo tripo

de digna, qui ad hoc multũ olei expenderunt, ex varia & crebra poëtarũ lectione decerpẽtes anxie quicquid ad carminis decorũ facere iudicabant, decerpta in corpus vnum congerentes, & congeſta indicis loco & velut amuſſis apud ſe habentes, qua impolitam carminis aſperitatem leuigarent, ornatũq; inducerent & elegãtiam. Nec obteſtor fruſtra fuit hęc opera, cum ſit omnis actionis caput, decere, elegãs eſſe, & placere quod agitur. Proinde ſi artificium, artem quoque ametis, ſi opus cordi ſit: operę non parcatur. Sitque hic agellus quo ſpatiari liceat paulo grauioris lectionis faſtidio enectis.

PERIPHRASIS QVA CIRCVNſcribitur tempus matutinum.
Virgilius octaua Aegloga.

¶Frigida vix cœlo noctis deceſſerat vmbra Cum
ros in tenera pecori gratiſſimus hærba eſt.
Iamque rubeſcebat radijs mare, & æthere ab alto
Aurora in roſeis fulgebat lutea bigis.

Idem.

Poſtera vix ſummos ſpargebat lumine montes
Orta dies, cum primum alto ſe gurgite tollunt
Solis equi, lucemq; elatis naribus efflant.

Idem.

Aurora interea miſeris mortalibus almam
Extulerat lucem, referens opera atq; labores.

Mantuanus.

Clara per æoos fluctus aurora rubebat,
Flammaq; ſurgebat niueis argentea bigis
Luciferi gelidos ſpargens in gramina rores,
Et cupiens prolem dulceſq; reuiſere nidos

Garrula ſub lucem modulos iterabat hirundo.

Idem, Et iam lux prima rubentes
Leucothoë thalamos luſtrans pallentia noctis
Nubila ſiccabat, veneriſq; emerſerat aſtrum,
Aſtrum quo gelidi veniunt in gramina rores,
Quodq; reuertētem prędicens lumine phœbum
Porrigit exiles vmbras.

Ouidius in Metamorphoſi.

Admonitorq; operum cœlo clariſſimus alto
Lucifer ortus erat. Idem.
Poſtera nocturnos aurora remouerat ignes,
Solq; pruinoſas radijs ſiccauerat hęrbas.

Idem.

Somnus abit, ſomniq; fugam lux alma ſecuta eſt.

Idem.

Et iam prima nouo ſpargebat lumine terras
Tithoni croceum linquens aurora cubile.

Idem.

Tempus erat vitrea quo primum terra pruina
Spargitur, & tectę fronde queruntur aues.

Idem in epiſtolis.

Iamq; fugatura Tithoni coniuge noctem,
Pręuius aurorę lucifer ortus erat.

Statius.

Poſtera ſydereos aurora fugauerat ignes,
Nondum cuncta polo vigil inclinauerat aſtra
Ortus: & inſtantem cornu tenuiore videbat
Luna diem: tepidas ſubito Tithonia nubes
Diſcutit: & reduci magnū parat æthera phœbo.

Sillius.

Poſtera lux phaëthontis equos proferre parabat
Iam rapidos omni curru ſplendente ſub vndis.

Idem.

144

Iamq; ſub extremum noctis fugientibus vmbris
Lux aderat, ſomnuſq; ſuas confecerat horas.
Luc. Iamq; dies primos belli viſura tumultus
Exoritur.

PERIPHRASIS MERIDIEI. Virgili⁹.
Sol medium cœli conſcenderat igneus orbem.

Ouidius.

Iamq; dies medius rerum contraxerat vmbras,
Et ſol ex æquo meta diſtabat vtraq;.

Idem in arte.

Iamq; dies medius tenues contraxerat vmbras.
Inque pari ſpatio veſper & ortus erat.

Idem in Metamorphoſi.

Medio cum ſol altiſſimus orbe
Tantum reſpiceret, quantum ſupereſſe videret.

PERIPHRASIS OCCASVS,
& noctis. Virgilius.

Maioreſq; cadunt altis de montibus vmbræ.
Idem. Et iam nox humida cœlo
Præcipitat: ſuadentque cadentia ſydera ſomnos.

Idem.

Vertitur interea cœlum, & ruit oceano nox.

Idem.

Cætera per terras omnes animalia ſomno
Laxabant curas: & corda oblita laborum.

Idem.

Iamque dies cœlo diſceſſerat, almaq; curru
Noctiuago Phœbe medium pulſabat olympum.
Ouidius. Traherent cũ ſera crepuſcula noctem,

Idem.

Deſinet ante dies, & in alto Phœbus anhelos
Aequore tinget equos. Horatius.
Nox erat, & cœlo fulgebat luna ſereno.

Inter minora ſydera.

Statius. Donec ſol montibus omnis
Erepſit:rebuſque dedit ſopor otia feſſis.

Idem.

Soluerat heſperij deuexo margine ponti
Flagrantes ſol pronus equos,rutilamq; lauabat
Oceani ſub fonte comam.

Mantuanus.

Orbe ſoporato tellus ægyptia noctem
Roriferã induerat,merſuſq; ſub æquore titan
Heſperio,cœli nitidos accenderat ignes,
Et niger attollens humentem Scorpius ortum
Stringebat iam rura nouis effœta pruinis.

Idem.

Cum tacitis ergo redijt nox humida pennis,
Atq; ſoporiferos niueis argentea bigis
Luna vehit radios:ſopnus per rura,per vrbes
Sargit lethęo medicata papauera rore,
Et vigiles abigunt ſecreta incendia curas.

Idem.

Iam nox atra caput velata nigrentibus vndis
Pallentes vrgebat equos:lentumq; ſoporem
In terras biiugo ſecum temone vehebat.

PERIPHRASIS SIGNORVM
& temporum anni.

Mantuanus.

Ille facit tauri pronam incandeſcere frontem,
Et titanis equos ad aquatica brachia cancri
Flectit:& ardentem ſub virgine tẽperat æſtum,
Atque ſuas ſeruare vices vaga ſydera iuſſit:
Chironem torpere gelu:caprumque niuoſis
Imbribus & glacie feſſos requieſcere campos,
Meſſibus æſtates,hyemem niue,purpureum ver

Floribus,autumnũ pomis & frugibus implet.

PERIPHRASIS AESTATIS.

Vergilius. Iam venit æſtas.
Torrida,iam lęto turgent in palmite gemmæ.
Idem in Georgicis.
Medios cum ſol accenderit æſtus,
Cũ ſitiunt hęrbę, & pecori iam gratior hęrba eſt.
Idem.
Tempus erat quo libra pares examinat horas,
Non vna plus æqua die noctuque rependit.

VERIS. Ouidius.

Omnia tunc florẽt, tunc eſt noua temporis ætas:
Et noua de grauido palmite gemma tumet.
Et modo formatis operitur frondibus arbos,
Prodit & in ſummum ſeminis hęrba ſolum:
Et tepidum volucres concentibus aera replent,
Ludit & in pratis luxuriatq; pecus.
Tunc blandi ſoles,ignotaq; prodit hirundo,
Et luteum celſa ſub trabe fingit opus.
Tunc patitur cultus ager,& renouatur aratro,
Hæc anni nouitas iure vocanda fuit.
Martialis.
Sydere iam Tyrius Phryxei reſpicit agni
Taurus, & alternum Caſtora fugit hyems.
Ridet ager,veſtitur humus,veſtitur & arbos.
Iſmarium pellex Attica plorat Itym.

AVTVMNI, VBI ET AEQVINOctij eſt deſcriptio.

Libra dies ſomniq; pares vbi fecerit horas.
Et medium luci atq; vmbris iam diuidit orbem.

HYEMIS. Mantuanus.

Tunc hyberna gelu torpebant arua ſereno,
Et matutino ſiccatum frigore gramen

Perdiderat vernum demiſſa fronde colorem,
Pigraq; nocturnis albebant rura pruinis.

ANNORVM DESCRIPTIO.

Ouidius in Ibin.

50.annorũ. Tẽpus ad hoc luſtris mihi iam bis quinq; peractis.

Idem.

2.annorũ. Bis me ſol adijt gelidę poſt frigora brumę,
Biſq; ſuum tacto piſce peregit iter. Idem.
Vt patria careo, bis frugibus area trita eſt,
Diſſiluit nudo preſſa bis vua pede.

Catullus.

1.vel 2. Quam veniens vna atq; altera rurſus hyems.
3 Ouid. Tertius æquoreis incluſum piſcib⁹ annũ
Finierat Titan. Idem. Tempora Titan
5 Quinq; per autumnos repetitis duxerat annis.

PERIPHRASIS IVVENTVTIS.

Quo pulchrior alter Virgilius.
Non fuit Aeneadum, Troiana nec induit arma,
Ora puer prima ſignãs intonſa iuuẽta. Mantua.
Nanq; vbi prima nouæ ceſſit lanuginis ætas,
Sollicitæ ſubeunt curæ trepidiq; pauores
Et laborin ſomnis, dubijq; per omnia caſus.

SENECTVTIS. Mantuanus.

Quid nõ triſte putas feret erumnoſa ſenectus?
Ipſa tremens artus, teretiq; innixa bacillo,
Hiſpida, macra, breuis, canis rugoſa capillis,
Caligans oculis, curuato in pectora tergo
Iam parat & ſequitur celeri mors pallida greſſu.

MORTIS. Marullus.

Nil magis eſt certum ſumma mortalibus hora,
Serius aut citius vna terenda via eſt.
Quid fraudare iuuat momento temporis æuum?
Sera, licet nunquam eſt ſera, futura dies.

Optima pars vitæ ſupremo ex funere pendet,
  Fœlix cuicunq; eſt fas bene poſſe mori.
Quod ſi quis caſuſq; hominũ, ſeriemq; laborum
  Cogitet, & vitæ tot mala damna breuis,
Iam primos mecum ille ortus, nõ vltima flenda
  Tempora, mortali ſentiet eſſe viro.
Debita naturæ mors eſt, quid pectora planctu
  Concutis? inuidiam parce mouere deis.
Parce precor Matthęe, modumq; impone dolori:
  Ingenium luctus dedecet iſte tuum.
Viuit honos, viuunt benefacta, virũq; labores,
  Et fuget hoſtiles fama decuſq; rogos.

REI PERMANENTIS DESCRI-
ptio. Virgilius.

Ante leues ergo paſcentur in æthere cerui,
Et freta deſtituent nudos in littore piſces,
Ante pererratis amborum finibus exul,
Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tygrī,
Quàm noſtro illius labatur pectore vultus.

PROSOPOPOEIA, SIVE, VT LV-
bet, proſopographia.

¶Perſonę deſcriptio quę rei naturã & proprieta-
tem cõtinet, ab his circũſtãtijs petetur potiſſimũ.
A natione, ſi vnumquenq; depinxerimus habita
ratione morũ, cultus, ritus patrij, vocis & loque-
læ, vt gallum exprimẽs, ambitioſum in cultu, in-
genioſum, domabilem, & ad ducendum facilem
rite dixeris, Gręcum fallacẽ, vafrum, fœdifragũ.
ſeuerum Romanum, & animo elatum &c.
Ab ætate, ſicuti oſtẽdit Horatius in arte poëtica,
Aetatis cuiuſq; notandi ſunt tibi mores,
Mobilibuſq; decor naturis dandus & annis.
Reddere qui voces iam ſcit puer, & pede certo

Signat humũ,geſtit paribus colludere,& iram
Colligit ac ponit temere,& mutatur in horas
Imberbis iuuenis: tandem cuſtode remoto
Gaudet equis,canibuſq;,& aprici gramine cãpi,
Cereus in vitium flecti, monitoribus aſper,
Vtilium tardus prouiſor,prodigus æris,
Sublimis,cupiduſq;,& amata relinquere pernix.
Conuerſis ſtudijs,ætas animuſq; virilis
Quærit opes,& inuentis miſer abſtinet vti,
Dilator,ſpe longus,iners,auiduſq; futuri,
Difficilis,querulus,laudator temporis acti
Se puero,cenſor caſtigatorq; minorum.
¶Conſiderandum eſt hic maxime vt iuueni pur-pureum,ſic ſeni quid conuenit.Non enim eadem vtriſq; decora ſunt,aut turpia.Ad hæc, cum lau-dare velis,à melioribus laudes:cum vituperare,à peioribus vituperare debebis. A SEXV.
Vir,cõſtans & ſeuerus dicetur.Fœmina,ſuperba, fallax,inconſtans:qualem Mantuanus depinxit.
Fœmineum ſeruile genus,crudele,ſuperbum,
Vult,non vult,ſecumq; ſibi contraria pugnat.
Propertius.
Si vobis facile eſt verba & cõponere fraudes,
Hoc vnum didicit fœmina ſemper opus.
Non ſic incerto mutantur flumine ſyrtes,
Nec folia hyberno tam tremefacta noto,
Quàm cito fœminea non conſtat fœdus in ira
Siue ea cauſa grauis,ſiue ea cauſa leuis.
Satyricus.
Intolerabilius nihil eſt quàm fœmina diues.
A ſtudijs itẽ,morib⁹,aut fortuna, perſona expri-mit,à quib⁹ expreſſit Terẽtius gnatonẽ paraſitũ.
Eſt genus hominũ q́ eſſe primos ſe reꝝ oĩm volũt,

 142

Nec ſunt: hos conſector: hiſce ego non paro me vt rideant,
Sed his vltro arrideo,& eorum ingenia admiror: ſimul
Quicquid dicunt,laudo:id rurſum ſi negãt, laudo id quoq;.
Negat quis? nego. ait? aio. poſtremo imperaui egomet mihi,
Omnia aſſentari, is quęſtus nunc eſt multo vberrimus. Virgilius famam.
Fama,malum,quo non aliud velocius vllum
Mobilitate viget,vireſq; acquirit eundo.
Parua metu primo,mox ſeſe attollit in auras:
Ingrediturque ſolo,& caput inter nubila condit.
Illam terra parens ira iritata deorum,
Extremã(vt perhibent) Cœo Enceladoq; ſororẽ
Progenuit,pedibus celerem, & pernicibus alis.
Monſtrum horrendũ,ingens, cui quot ſunt corpore plumæ,
Tot vigiles oculi ſubter,mirabile dictu.
Tot linguæ,totidẽ ora ſonant,tot ſubrigit aures.
Nocte volat cæli medio, terræq; per vmbram,
Stridẽs: nec dulci declinat lumina ſomno.
Luce ſedet cuſtos,aut ſummi culmine tecti,
Turribus aut altis:& magnas territat vrbes:
Tam ficti prauiq; tenax,quàm nuncia veri.
Hæc tum multiplici populos ſermone replebat
Gaudens,& pariter facta atq; infecta canebat.

Ouidius octauo Metamor. Famem.

Quæſitamque famem lapidoſo vidit in agro
Vnguibus & raris vellentem dentibus herbas.
Dura cutis,per quam ſpectari viſcera poſſent,
Oſſa ſub incuruis extabant arida lumbis.

Ventris erat pro ventre locus. pendere putares
Pectus,& a ſpinę tantummodo crate teneri,
Auxerat articulos macies:genuumq; tumebat
Orbis,& immodico prodibant tubere tali.

¶Chryſipus iuſtitiam proſa.

¶Quòd virgo dicitur iuſtitia, eã eſſe incorruptã eſt indicio,improbis nunquam concedere,nõ ſermones blandos,non purgationem, non deprecationem,non adulationem, non deniq; quicquam aliud pati.Quas ob res merito triſtis etiam pingitur,vultu graui,aſpectu toruo,vt iniuſtis terrorẽ incutiat,& iuſtis fiduciã præbeat,quãdo huiuſcemodi facies iuſtis grata, iniuſtis moleſta ſit.

Iuuenalis Sergiolum à forma.

Sergiolus iam radere guttur.
Cœperat,& ſerto requiem ſperare lacerto.
Præterea multa in faciẽ deformia,ſicut,
Attritus galea, medijſq; in naribus ingens
Gibbus,& acre malum ſemper ſtillantis ocelli.

Ouidius Cacum

Cacus Auentinæ timor atq; infamia ſiluæ
Non leue finitimis hoſpitibuſque malum
Dira viro facies,vires pro corpore, corpus
Grande,pater monſtri Mulciber huius erat
Proque domo longis ſpelunca receſſibus ingens
Abdita,vix ipſis inuenienda feris.
Ora ſuper poſtes affixaque brachia pendent
Squalidaque humanis oſſibus albet humus.

Martialis Fabullam a diuitijs & forma.

Bella es,nouimus,& puella,verum eſt,
Et diues, quis enim poteſt negare?
Sed dum te nimium Fabulla laudas,

Nec diues, neq; bella, nec puella es. 148

VErum vt mores vnicuique accommodare noſcas, proderit plurimũ nõ audita natura cognoſſe modo, ſed etiã vidiſſe propius oculis quæ voles effingere, ne forma te vel habitus vel inditi affectus fallant, vt in his nimirum fit quæ audieris tãtum. Porro hos perinde ac digitos (quod dicitur) tibi cognitos habe hominum cuiuſuis ætatis mores, quos ab Ariſtotele didicimus. Iuuenes (inquit) huiuſmodi ſunt moribus, vt aptiſſimi ad cupiendum ſint, potenteſque facere quæcunque cupiant. mutabiles vero ſunt in cupiditatidus, citoque faſtidientes. & vehementer quidem cupiunt, ceſſant autem cito. Voluntates enim acutas habent, & non magnas, veluti ægrotantium ſitis aut fames. Ad hæc ad iraſcendum apti ſunt, & acutę iræ, potenteſque appetitiones ſequi. Ambitioſi etiam ſunt, imò cõtentioſi. Excedere nanque iuuentus cupit. Sunt autem horum magis quàm pecuniarum ſtudioſi: pecuniarum ſtudioſi minime, nec malitioſi: ſed ſimplices, nondum enim verſutias multas inſpexerunt. creduli etiam ſunt, quoniam nondum in multis decepti. Spei quoq; bonæ. ſic enim à natura percalidi iuuenes ſunt, quemadmodum qui vino pleni ſunt, ſimul quoniam nondum in multis aberrarunt. Viuunt igitur maxime ſpe, quo fit vt facile quoque decipiantur, qui facile ſperant.

¶Pręterea verecundi, magnanimi quoq;: in agendo autem honeſta potius eligunt quàm vtilia. Amicorum ſtudioſi ſunt, atque ſodalium, multò magis quàm cæteræ ætates. Nimis agũt in omni-

bus nimis amant,nimis oderũt.Omnia nimis vehementiuſq; peccant, cõtra Chilonis dictũ.Scire quoq; omnia putant atq; affirmant.iniurias etiã faciunt in contumeliã, non in malignitatem. Ad cõmiſerationem quoq; parati, quoniã probos omnes arbitrantur.Sua enim ſimplicitate cæteros metiunt Riſui etiã ſtudẽt:iccirco & dicaces ſunt.

SEnes horum fere cõtrarios mores vt plurimũ habent.ſciũt nihil,ſed ambigentes ſemper forſitan ac fortaſſis addunt,& ſic omnia dicũt: firmiter vero nihil. malitioſi quoque ſunt. malitia vero eſt in peiorem cuncta partẽ ſuſpicari.Suſpicioſi nãq; ſunt, quoniã increduli:increduli vero,quoniã experti.quapropter neq; amãt, neq; oderũt nimium,ſed ſecundũ Biantis pręceptum & amãt vt oſuri, & oderunt vt amaturi. Præterea puſillanimi ſunt, vitæq; ductu deiecti. Nullum enim magnum neq; ſuperuacaneũ, ſed quæ ad vitã neceſſaria ſunt,cupiũt.Liberales etiã ſunt,quãdo ſubſtãtia vnũ ex neceſſarijs eſt:ſimulq; quoniã experti non ignorant difficilem eſſe acquiſitionem,iacturam vero facilem.Ad hæc timidi ſunt, licet inuerecũdi, & ad pertimeſcendũ cuncta parati.Cõtrario enim modo q̃ iuuenes diſpoſiti ſunt.Sunt enim frigidi,cum illi calidi ſint. Quare neq; cupidi ſunt,neq; ſecundum cupiditates,ſed ſecundum lucrum actiui.Ad cõmiſerationem quoq; parati ſunt, ſed nõ ea de cauſa qua iuuenes.nam iuuenes ex humanitate, ſenes autẽ ex imbecillitate.Omnia enim impendere ſibi putant, propeq; eſſe vt patiãtur:vnde queruli ſunt, non dicaces neq; faceti &c.Quæ reticemus,ne fa-

ſtidio ſit prolixitas.

¶Conſtantis ætatis mores inter hos verſabũtur, vtrorũq; fugientes exceſſum,& neq; valde confidentes,quod ferocitatis eſt: neq; timentes valde, ſed bene ſe habentes ad vtrunq; : nec increduli omnium ſunt,ſed ſecũdum ſolũmodo veritatem iudicãt:nec parci,nec prodigi, ſed accommodati rebus ſunt.Similiter ſe ad iram quoq; ac cupiditatem habẽt. Suntq; modeſti cum fortitudine,fortes cum modeſtia &c.

NObilitatis autẽ mores ſunt,vt ambitioſior ſit qui nobilior eſt. Nobilitas vero quædã maiorum claritas eſt.Præterea nobiles ad contemnendos maiorum ſuorum ſimiles parati ſunt.Nam ea quę iamdiu geſta ſunt,honorabiliora ſunt, ad iactationemq; aptiora,quàm quæ nuper facta &c.

¶MORES qui diuitias comitãtur, facile omnes perſpicere poſſunt. contumeliatores nanq; ſunt ac ſuperbi qui poſſeſſione opũ perturbantur.nam quaſi omnia bona poſſideant,ſic afficiuntur. Delicati etiam ſunt,ſibiq; plurimum arrogãtes &c.

¶POTENTVM mores pene in aperto ſunt. partim enim eoſdem habẽt quos diuites, partim etiam meliores.Sũt enim potẽtes ſecundum mores ambitioſi,ac viriliores quàm diuites: diligẽtes quoq; magis: honeſtiores etiã quàm moroſiores. Eſt autem honeſtas, mollis cõpoſitaq; moroſitas. Superbi magis, & minus rationales propter ſecundam fortunam ſunt,quãuis mos melior hanc fortunam vnus ſequitur.Sũt enim erga deum pij, afficiũturq; quodammodo ad ipſum propter bona quæ ſibi à fortuna præbẽtur.Horum cõtraria

ex contrarijs manifeſta erunt: veluti pauperis infortunati ac impotentis mores. Hactenus eiuſdem verba fere reddidimus.

PRoſopopœia verius dicetur quoties rē inanimatam loquentē inducemus, aut hominem procul abſentem, aut defunctos quaſi excitabimus ab inferis: vt contra adoleſcentē impudicum apud naturam hęc patroni fuerit actio: Quid ſi tādem iudices apud ipſam naturam cauſam hāc ageremus? ac, quæ ita diuiſit muliebrem virilemq́ perſonam, vt ſuum cuiq́ opus atq́ officium diſtribueret, ei ego hunc oſtenderem muliebri ritu eſſe ſuo corpore abuſum? Nonne vehemētiſſime admiraretur, ſi quiſquā non gratiſſimū munus arbitraretur virū ſe natum, ſed deprauato naturę beneficio in muliebrē cōuertere ſe properaſſet? Et ea apud Ciceronē Vrbis querimonia. Ego illa plurimis trophæis ornata, triūphis dilatata certiſſimis, clariſſimis locupletata victorijs, nūc veſtris ſeditionibus vexor o ciues. Quā olim malitioſa Carthago, viribus probata Numātia, diſciplinis erudita Corinthus labefactare nō potuit, eam patimini nūc ab homūculis teterrimis proteri atq́ conculcari.

¶Item, ſi nūc Brutus ille reuiuiſcat, & hic ante pedes veſtros adſit, nō hac vtatur oratione? Ego reges eieci, vos tyrānos introducitis. &, ego libertatem quæ nō erat peperi, vos partam ſeruare nō vultis. ego capitis mei periculo patriam liberaui, vos liberi ſine periculo eſſe non curatis.

Ouidius ad librum.

Parue, nec inuideo, ſine me liber ibis in vrbem.
Hei mihi ꝙ domino non licet ire tuo.

Vade, ſed incultus,qualem decet exulis eſſe.
Infelix habitum temporis huius habe.

Iuppiter ad naues Aeneæ in nono
Aeneidos Virgilianæ.

150

Vos ite ſolutæ.
Ite deæ pelagi genitrix iubet.
Libri Ouidiani loquentes.
Qui modo Naſonis fueramus quinque libelli
Tres ſumus &c.

¶Huc fere pertinet apoſtrophe,qua ſermonē ad rē abſentem cōuertimus,vt,Scipiadas duros bello, & te maxime Cæſar.

TOpographia eſt loci deſcriptio, veluti cū montis, vrbis, regionis, fluminis, fontis, tēpli,ſyluæ,&c.tota facies oculis ſpectanda depingitur.

Carthaginis deſcriptio apud Virgilium.

Vrbs antiqua fuit,Tyrij tenuere coloni,
Carthago:Italiam contra,tyberinaque longe
Oſtia,diues opum,ſtudijs aſperrima belli:
Quam Iuno fertur terris magis omnibus vnam
Poſthabita coluiſſe Samo: hic illius arma
Hic currus fuit.

DOMVS SOMNI.

Eſt prope Cimmerios longo ſpelunca receſſu
Mons cauus,ignaui domus & penetralia Somni:
Quo nunq̄ radijs oriens mediuſve cadenſve
Phœbus adire poteſt, nebulæ caligine miſtæ
Exhalantur humo,dubiæ crepuſcula lucis.
Non vigil ales ibi criſtati cantibus oris
Euocat auroram,nec voce ſilentia rumpunt:

Sollicitive canes, canibuſve ſagacior anſer
Non fera, non pecudes, nõ moti flamine rami
Humanæve ſonum reddunt conuitia linguæ.
Tuta quies habitat, ſaxo tamen exit ab imo
Riuus aquæ lethes, per quẽ cũ murmure labens
Ante fores antri fœcunda papauera florent
Innumeræq; herbæ, quarum de lacte ſoporem
Nox legit, & ſpargit per opacas humida terras.
Ianua, ne verſo ſtridorem cardine reddat,
Nulla domo tota, cuſtos in limine nullus.
In medio thorus eſt hebeno ſublimis in antro
Plumeus. vnicolor pullo velamine tectus,
Quo cubat ipſe deus membris languore ſolutis.
Hunc circa paſſim varias imitantia formas
Somnia vana iacent totidem quot meſſis ariſtas,
Silua gerit frondes, eiectat littus arenas.

DOMVS FAMAE.

Orbe locus medio eſt inter terraſq; fretumq;,
Cæleſteſq; plagas triplicis confinia mundi,
Vnde quod eſt vſquam, quãuis regionibus abſit,
Inſpicitur, penetratq; cauas vox omnis ad aures,
Fama tenet, ſummaq; domum ſibi legit in arce,
Innumeroſq; aditus ac mille foramina tectis
Addidit, & nullis incluſit limina portis,
Nocte dieq; patet, tota eſt ex re ſonanti
Tota fremit, voceſq; refert, iteratq; quod audit,
Nulla quies intus, nullaq; ſilentia parte,
Nec tamẽ eſt clamor, ſed paruæ murmura vocis
Qualia de pelagi, ſi quis procul audiat, vndis
Eſſe ſolent, qualemve ſonum cum Iuppiter atras
Increpuit nubes, extrema tonitrua reddunt.
Atria turba tenet. veniunt leue vulgus, euntq;,
Mixtaq; cũ veris paſſim cõmenta vagantur

Mitia rumorum,confuſaqꝫ verba volutant,
E quibus hi vacuas implent ſermonibus aures,
Hi narrata ferunt alio, menſuraqꝫ ficti
Creſcit,& auditis aliquid nouus adijcit auctor.
Illic credulitas,illic temerarius error
Vanaqꝫ lętitia eſt,conſternatiqꝫ timores,
Seditioqꝫ recens, dubioqꝫ authore ſuſurri.
Ipſa,quid in cœlo rerum pelagoqꝫ geratur,
Et tellure,videt,totũqꝫ inquirit in orbem.

¶Vltimas has deſcriptiones, quia fictæ ſunt,topothesias appellant. Præcedentes autem,quę veræ ſunt topographias.

CHronographia,temporis eſt deſcriptio: vt diei, noctis, auroræ, crepuſculi,veris,hyemis,autumni,æſtatis,quorum Periphraſes ferè præſcripſimus. Virgilius.

Nox erat, & placidum carpebant feſſa ſoporem
Corpora per terras,ſiluæqꝫ & ſæua quierant
Aequora,cum medio voluuntur ſydera lapſu,
Cum tacet omnis ager,pecudes,pictęqꝫ volucreſ
Quæqꝫ lacus late liquidos,quæqꝫ aſpera dumis
Rura tenent,ſomno poſitæ ſub nocte ſilenti,
Lenibant curas,& corda oblita laborum.

QVoniam à tenebris,quas orationi offundere conſueuit obſcurũ, tropi & ſchemata,nõ minus quàm orationẽ, carmẽ vindicãt,venerisqꝫ tantum adferũt & elegantiæ,quãtum vel aureus ille ſol quẽ videmus, lucis adfert toti mundo, ſi

eorũ modicus & opportun⁹ ſit vſus.frequẽs enim & importunus mox in ænigmata abiret. Nam vt neminẽ deceret veſtis diſcolor lapillis quauis in parte temere diſtincta,ſic figurarũ aut ſentẽtiarũ denſitas, authore Fabio, quicquid ineſt luminis orationi,id omne tollit,non adfert:deornamento eſt,non ornamento.Ego,inquit,hæc lumina orationis velut oculos quoſdam eloquẽtię eſſe credo: ſed neq; oculos eſſe toto corpore velim,ne cætera membra ſuum officium perdant.In rem facturum me credidi,ſi quæ ad ipſas ſentẽtias illuſtrãdas pertineant,paucis coarctaro, & obſcurum ab eo quod ornatum dicitur,longioribus quidẽ ſpacijs ſecretũ effecero,ne ſuas ipſum ſordes permiſceat cũ ſplendore orationis vndequaq; ſui ſimilis.Conſultum tamen fuerit ea prius in compendium huc referre,quæ de ſententijs circunferuntur, quàm ad tropos & figuras ventum ſit.habẽt nempe mutuam affinitatẽ figuræ cum ſentẽtijs: ita vt ſeparatæ propemodũ vileſcant.Figuræ enĩ nouam illam & quaſi inauditã conciliant lenitatem ſententijs,quam nũquam non præ ſe ferunt ſi rebus pręſentibus accommode per ſchematum ſpeciesvarient,& in loco ſuo appoſite adhibeant: idq; non ſine acri iudicio, quo diligenter vbique cautũ ſit ne nimis crebrę ſint,aut ita fidei limites egreſſę,vt falſi nomẽ induant.fieret enim vt alio atq; natæ ſint detorqueres,vt quæ vi ſua probationibus valeant, narrationibus ac mouendis affectibus rem potius exaggerarent,aut omnino fidẽ dictorũ eriperẽt auditoribus. ¶SENTENTIA, vt ſummatim dicam,eſt aduerſus res omnes,non enim grauabor Ariſtotelisvmbrã hac in parte ſe-

qui,opinionis propriæ declaratio.cuius duo ſunt genera,alterũ quidē credibile,alterũ vero incredibile.cum credibile dixeris,nihil opus erit cauſam dicere. nã neq; quod dicit ignorat,neq; nõ credit qdē.Cũ incredibile dices, cauſę paucis ſũt dicēdę: vt & dicacitatē & incredulitatē effugias. Sententias autē fingemus aut ex propria natura,aut ex ſuperlatione, aut ex ſimilitudine ſimiliũ aut diſſimiliũ,pugnantiũ & cõtrariorũ, & circũſtantiarũ plerũq; ratione habita.Circũſtãtiæ autē duplices ſunt,rei ſcilicet,& perſonę.rei ſunt cauſa,locus,tēpus,occaſio,antecedentia,adiuncta, ſequētia &c. Perſonę ſunt genus,natio,patria,ſexus,ætas,educatio, habitus corporis, fortuna, conditio, animi natura,ſtudia,concilium, nomen,&c.

¶Ex natura ſic, vt, Prudentis eſt ex rerum prę teritarum exemplis operam dare vt inconſultum agatur nihil. vel,Nemo rerum imperitus grauis imperator eſſe poteſt.Ad hũc vſum faciũt exquiſitę breueſq; ſentẽtię celebriũ authorũ,apophthegmata,prouerbia quæ potiſſimum inſigne quippiam aut vulgo celebratum expriment,rei quoq; naturam oculis admouebunt,cuiuſmodi ſunt.

Quoniam talis vt fias neceſſe eſt,qualis eſt qui cũ vixeris:non parum interfuerit quorum conſuetudine puer vtare. cui ſubiecta eſt ratio.

Item labor & induſtria iuuenem decent, cum turpe ſit eas dotes quas illis annis natura minime inuidit,in otio & fœdis voluptatibus conſpurcari. vel, Eſt ingenij candidi non inuidere alijs quod tibi fortuna negarit.Sũt aliæ ſimiles ſexcētę quæ ad omnē dicendi facultatem plurimũ habent & ornamenti & adiumēti. Aliæ ſunt quę (vt inquit

Fabius) parum gratiæ habent niſi ad rem relatę: quas tamē ſi quis exactius perſequi volet, ex octauo eíuſdē petat licebit, vt, Nihil eſt tam populare, quàm bonitas Alię ad perſonā, quale eſt illud Afri Domitij· Prīceps qui vult ōnia ſcire, neceſſe habet multa ignoſcere. Aliæ ſimplices, vt, Labor improbus omnia vincit. Aliæ duplices ex partibus cōtrarijs: vt, Obſequiū amicos, veritas odium parit. Item ex partibus diuerſis: Mors miſera nō eſt, aditus ad mortem miſer. Alia ſi quis deſideret exempla, ex Fabio diſcat.

¶Ex ſuperlatione, vt, Longe fœlicius honeſta fama viuunt, quā cōmuni ſpiritu. Itē Acerbiora mihi videntur fures quā latrones admittere. Nam ij clanculum, illi vero palam pecunias eripiunt.

¶Ex ſimilitudine. Qui pecunias auferunt, idem faciunt, mea quidem ſententia, quod hi ſolent qui vrbes prodūt. Vtriq; enim crediti, iniuria credentes afficiūt. Itē illud Ciceronis, Vt corpora noſtra ſine mēte, ita ciuitas ſine legib⁹, ſuis partibus & neruis & ſanguine & mēbris vti nō poteſt. Item quēadmodum fulmen æs liquefacit intacta cera, ita principis anim⁹ in rebelles ſæuire debet, cum cæteris mitius agere. Et illud Platonis, Iuuenum in primis rationē habere cōuenit, vt in optimos viros adoleſcant. haud aliter prudentē agricolam teneriuſculis plantis primam curam habere decet, deinceps vero & alias non negligere. Parabolica ſunt id genus exempla.

PARABOLA.

¶Parabola autem, quam Cicero collationē interpretat̄, eſt accōmoda ſimilitudo, ab his quæ fiunt, aut quę natura caſu ve rebus adiuncta ſunt, ſum-

pta.Cicero.Vt aiunt eos aulœdos eſſe q̃ citharœdi fieri nõ potuerũt:ſic nõnullos videmus qui oratores euadere nõ potuerũt,eos ad iuris ſtudiũ deuenire. Itẽ,Nõ aliter quã Camillus rẽ Romanã à Gallis oppreſſam, & in extremã p̃niciẽ adductã ſua virtute depulſis barbaris reſtituit,ita Valla latinas literas inſcitia vere barbarorũ deprauatas, obrutas,extinctas,in priſtinũ nitorẽ velut ab inferis reuocauit. His cõfines ſunt tranſlationes,ſimilitudines,metaphorę,allegoriæ,ſimileſq; tropi ſpecies.

METAPHORA.

¶ Metaphora fit cum nomen aut verbum ex ea ſignificatione quæ propria & genuina eſt,in eam quæ propria non eſt,tranſfertur:vt

Gemma in vitibus pro primo germine.
Videre pro intelligere.
Audire pro obedire.
Concoquere, deuorare, pro vincere vel perferre.

In his id quod eſt corporis,ad animum trahitur. Quod genus etſi vulgare admodum eſt,ita vt indocti eo frequenter vtantur vel nõ percipientes, nõ humile tamẽ eſt,nec inſuaue,modo recte acci tum ſit:quin in oratione quantũlibet clara lumine tamen natiuo reſplendet.

Quod animato eſt peculiare,ad inanimatum deflectitur,vt Parturit arbos,
Ridet ager.

Aut contra,vt
Viridis ætas,
Floret æuum.

¶Quod rationali eſt proprium,ad irrationale trahitur: vt ſi poëtam egregium cygnum,aut luſciniam muſicum appellemus.

Aut contra, vt,

Gannit homo

Adlatrat.

Quod animalis eſt, animali datur, vt

Paſcunt apes.

Quod inanimatum eſt, inanimato: vt,

Suppullulat odium.

Silueſcit barba.

¶Sumũtur ferè metaphorę à rebus inſignib⁹: vtpote nauigatione, & bello: cuius generis ſunt. Secundis nauigare ventis, pro auſpicata contingere omnia: vnde Horatius.

Non agimur tumidis velis aquilone ſecundo,
Non tamen aduerſis ætatem ducimus auſtris.

Vertere vela pro mutare ſentẽtiã. Idem in Odis.

Nunc retrorſum vela dare atq; variare curſus cogar relictos.

Facere naufragium pro periclitari. Permittere vela ventis pro rem fortunæ arbitrio committere.

A BELLO.

Bellicum canere pro exhortari. Canere receptui pro finire.

¶Ducũtur etiã à ſenſibus corporis, velut Olfacere pro reſciſcere aut deprehendere. Subolere pro ſuſpectum eſſe. Deguſtare pro experiri. Palato ſatiſfacere pro placere. Putere, diſplicere. Oculis ferre, amare: in oculis eſſe, recordari. Cęcutire, hallucinari. Cõniuere, conſulto ſimulare. & ſic in alijs. Item ſi vnicuique diſciplinæ atque artificio vocabula peculiaria (quę vt in ſacris ceremonijs ac magicis precaminib⁹ fieri cõſueuit, fere ſuperſtitiõe quadam vſurpantur) alio detorqueas, metaphoricũ aliquid reſipient, veluti ex militari diſcipli-

na.Res ad triarios redijt,id eſt eo periculi reda•
cta eſt res,vt ſummis viribus ſit enitẽdum.Rece•
ptui canere,finire. Claſſicum canere,conuocare.
¶Ex muſica, Sũma chorda ꝓ voce acuta & ſono•
ra.Eadem oberrare chorda.i.eadem in re peccare
ſæpius.Et præludium pro præfatione.¶Ab alijs
artificibus,Summũ faſtigiũ imponere,id eſt rem
ſuis partibus abſoluere. Summã imponere ma•
num.i.ſumma cura perfectum ac expolitum eſſe
opus. ¶A comœdis aut tragœdis,vltimũ fabulæ
actum addere,quod ſignificat extremum finem
imponere. Sed cõpreſſior eſt loci huius anguſtia
quàm qui pluribus colligendis ſufficiat. Alia in
authoribus,ſi voles,vide.

¶Sunt autẽ apud Ciceronẽ optimæ,apud Quin•
tilianum plurimæ.Nec quippiam vetabit quo mi
nus ipſi fingamus metaphoras vndecunq; ex co•
gnitis rerum omniũ naturis,modo ne dura tranſ•
latio,ne ſordida,ne nimium crebra ſit.

¶Huc pertinet ALLEGORIA, quæ (vt inquit
Fabius) aliud verbis,aliud ſenſu oſtẽdit,ac etiam
interim contrarium: cuius exẽplum fuerit verſus
Horatij quo nauim pro republica,tẽpeſtates flu•
ctuum pro bellis ciuilibus,portũ pro pace dixit.

O nauis,referant in mare te noui
Fluctus.o quid agis? fortiter occupa
Portum.nonne vides vt
Nudum remigio latus?
Et malus celeri ſaucius Africo
Antennęq; gemant?ac ſine funibus
Vix durare carinæ
Poſſunt imperioſius
Aequor?non tibi ſunt integra lintea,

Non di, quos iterum preſſa voces malo &c.
Cicero. Hoc miror, quenq̄ hominē ita peſſundare alterū verbis velle, vt etiā nauem perforet in qua ipſe nauiget. i. ciuitatem euertat, qua ſubuerſa ſibi quoq; pereundum ſit.

¶ AENIGMA. licet vitium Quintiliano ſit, allegoriam tamē obſcuram cenſent alij: quæ in loco vſurpata, vitioſa nō eſt: vt, mater me genuit, eadē mox gignitur ex me.

¶ PAROEMIA, quā Diomedes & Donatus allegorię ſpeciem faciunt, eſt celebre dictū ſcita quapiā nouitate inſigne, vt, Lupus eſt in fabula, qua ſilēdū monemur quopiā pręſente de quo agebat.

¶ IRONIA fit cum aliud in pectore recluſum, aliud in lingua promptum habemus: cuius ſenſus non ex verbis, ſed vel pronūciatione vel perſona vel rei natura elicitur: vt, Id populus curat ſcilicet. Heus tu bone vir, curaſti rē ꝓbe. In Andria. Cicero. Tu vero feſtiuus, tu elegās, tu ſolus vrbanus, quem decet muliebris ornatus. vel ſic, Is nūc (ſi dijs placet) nos docebit, qui nihil vnquam didicit ipſe.

¶ Eius ſpecies ſunt ASTISMOS, vrbanitas quędā, & veluti ingenua orationis feſtiuitas. Cicero. Reſpicite iudices hominum fortunas, Reſpicite Fabricij ſenectutem. Et Virgilius.

Qui Bauium non odit, amet tua carmina Mœui
Atq; idem iungat vulpes, & mulgeat hircos.

¶ EXVTHENISMOS fit cū rem aliquā contēptam facimus. Cato. Antiochus epiſtolis bellum gerit, calamo & atramento militat. Lucilius.

At magnum fecit quòd verbis græca latinis
Miſcuit.

¶SARCASMOS,ea fœda aut amarulēta ſignificamus.Cicero.Quod facerē vehemētius,niſi mihi intercederēt inimicitię cū iſtius mulieris viro,fratre volui dicere: ſemper hic erro.Virgilius
En agros, & quam bello Troiane petiſti
Heſperiam metire iacens.

¶ANTIPHRASIS,vni⁹eſt verbi ironia,vt bellū dicitur ꝙ minime bonū.Aliquādo ſentētię figura eſt,cū quędā negamus nos dicere,quæ tamē dicimus:vt apud Lucilium. Nō tango quod auarus homo eſt,quodqꝫ improbus, omitto.

¶CHARIENTISMOS ſiue ſcōma,feſtiuitas nō ſine acerbitatis placabilitate cōcinna,vt apud Terentiū,Bona verba,quæſo.& Ciceronē, Facite vt illā vſqꝫ ad talos demiſſam cogitetis.

¶SYNECDOCHE,fit quoties ex vno plures intelligimus.dicitur enim à Cicerone intellectio,vt Roman⁹ prępelia victor.i. Romani.Ex parte totū, vt mucronem dicimus pro gladio. Ex ſpecie genus,vt apud Horatiū.Iracūdior Adria, pro quouis mari.Genus autē authore Cicerone eſt quod plures partes cōplectitur,vt animal.Species pars eſt quæ ſubeſt generi,vt equus. Ex materia rem confectā,vt abies pro naui.Ex præcedentibus ſequentia,vt ſubdidit equo calcaria.i.cucurrit:& vt breuius dicam,quoties ex vno aliud intelligimus.

¶Huc accedit METONYMIA,quæ eſt nominis pro nomine poſitio,cum inuentorem pro inuento ponimus,pro cōtento cōtinens, aut pro poſſeſſore poſſeſſum:vel contra:vt,Sine Cerere & Baccho friget Venus.i.ſine cibo & potu.Et,Nunc pateras libate Ioui.i.vina,&c.Hanc rhetores hypallagen appellant.

¶ANTONOMASIA eſt nominis permutatio, & per epitheton detracto eo cui apponitur, valet pro nomine, vt Aeacides ꝓ Achille. Anchiſiades pro Aenea. Euerſor Carthaginis & Numantiæ pro Scipione. Latona pro luna. Cytherea pro Venere. Saturnia pro Iunone. Romanæ eloquentiæ princeps pro Cicerone. Poeta pro Homero. Philoſophus pro Ariſtotele. Theologus pro Origene.

¶ONOMATOPOEIA eſt nominis fictio, vt taratantara pro ſonitu tubæ. Mugire, latrare, rugire, barrire, gannire, grunnire &c.

¶CATACHRESIS, verborum abuſionem interpretantur, vt ſi dicamus parricidã qui fratrem occiderit. Piſcinam, in qua lauamus, nec piſces inſunt.

¶HYPERBATON eſt tranſgreſſio verborum ordinem communem perturbans, vt

Treis notus abreptas in ſaxa latentia torquet,
Saxa vocant Itali medijs quæ in fluctibus aras.

Ordo eſt. Notus torquet treis naues in ſaxa quæ Itali vocant aras. Nec immerito (inquit Quintilianus) hæc inter virtutes habetur. Fit enim frequentiſſime aſpera & dura & diſſoluta & hians oratio, ſi ad neceſſitatẽ ordinis ſui verba redigantur, & vt quodq; oritur, ita proximis etiam ſi vinciri nõ poteſt, alligetur. Differenda igitur & præſumenda quædam ſunt, atq; vt in ſtructuris lapidum impolitiorum, loco quo conuenit quidq; ponendum. Nec aliud poteſt facere ſermonem numeroſum, quàm opportuna ordinis mutatio.

¶Huius ſpecies ſunt ANASTROPHE, quam verborum prępoſterum ordinem recte dixeris, vt vulgo dicitur mecum, tecum, ſecum apud orato-

res: qibus de cauſis, poëtice Italiam contra.

¶PARENTHESIS eſt legitimæ ſententiæ interruptio per alterius inſertæ interpoſitionem, vt, Nos, ſcilicet omnes (vt fit) fere repentino nūcio perturbati obſtupuimus. &,

Vare tuum nomen, ſuperet modo Mantua nobis:
(Mantua veh miſeræ nimium vicina Cremonæ)
Cantantes ſublime ferent ad ſydera cygni.

¶TMESIS eſt dictionis ſectio quopiam interiecto, vt, Eſt Boreę regio ſeptem ſubiecta trioni. Ennius. Saxo cere comminuit brum.

¶HYSTEROLOGIA, cum id quod natura poſterius eſt, prius enunciatur, vt, Moriamur, & in media arma ruamus.

¶HYPERBOLE (aſſertore Fabio) dementiens eſt ſuperiectio, vtpote quæ fidem non mereatur, cuius virtus eſt augendi & diminuēdi. Augendi, vt, vox aſtra ferit. Cælum queſtubus implet. Fragor æthera terruit ipſum. Diminuendi, vt, vix oſſibus hærent.

Plautus in Aulularia.

Oſſa atq; pellis totus eſt. ita cura macet.
Quin exta inſpicere in ſole etiam viuo licet.
Ita is pellucet quaſi laterna punica.

¶EMPHASIS eſt figura altiorem præbens intellectum, q̄ quem verba per ſe ipſa declarant: aut cū ex aliquo dicto aliquid latens eruitur. Virg.

Non licuit thalami expertem ſine crimine vitā
Degere more feræ!

Quanquam enim de matrimonio queritur Dido, tamen huc erupit eius affectus, vt ſine thalamis vitam hominum non putet, ſed ferarum.

HActenus de tropis. Nũc ad figuras ſit trãſitus. Differt enim tropus a figura. Tropus eſt trãſlatio verbi vel ſermonis à propria & naturali ſignificatione ad aliam ornandæ orationis gratia. Figura eſt conformatio quædam orationis a cõmuni & primũ ſe offerente ratione. vel ſic, Figura eſt arte aliqua nouata dicendi forma. cuius ſpecies hæc præſens tabella continet.

Figura
- alia ſententiarum
- alia dictionis
  - alia ſermonis
  - alia locutionis
  - alia cõſtructionis

Figura autem ſententiarũ ſic differt à figura ſermonis, ꝙ ſententiæ figura immutato verborum ordine vel tranſlato manet nihilominus. Sermonis autem, ſi detraxeris vel immutaueris quippiam, vel ordinem confuderis, nullatenus manebit.

PRimum igitur de ſententiarũ figuris quod in genere apud M. Ciceronem dictum eſt, repetamus.

Sententias, inquit, cũ optime Brute teneas, quid attinet nominibus vti aut exemplis? tantummodo notetur locus. Sic igitur dicet ille quem expetimus, vt verſet ſæpe multis modis eandem & vnam rem, & hæreat in eadem commoreturque ſentẽtia. nam, vt alibi idem, & cõmoratio vna in re permultum mouet, & illuſtris explanatio, rerumque quaſi gerantur ſub aſpectum pene ſubie-

ctio.Sæpe etiam vt extenuet aliquid:ſæpe vt irrideat:vt declinet à propoſito, deflectatque ſententiam: vt proponat quod dicturus ſit: vt cum tranſegerit iam aliquid, definiat; vt ſe ipſe reuocet:vt quod dixerit,iteret:vt argumentum ratione concludat:vt interrogando vrgeat: vt rurſus quaſi ad interrogata ſibi reſpondeat:vt cõtra ac dicat, accipi & intelligi velit: vt addubitet quid potius, aut quo modo dicat:vt diuidat in partes, aut aliquid relinquat ac negligat:vt ante præmuniat: vt in eo ipſo in quo reprehendatur,culpã in aduerſarium conferat: vt ſæpe cum his qui audiunt, nonnunq̃ etiã cum aduerſario quaſi deliberet:vt hominum ſermones moreſque deſcribat: vt muta quædam loquẽtia inducat: vt ab eo quod agitur,auertat animos: vt ſæpe in hilaritatem riſumve conuertat: vt ante occupet quod putat opponi:vt comparet ſimilitudines:vt vtatur exemplis:vt aliud alijs tribuens diſpertiat: vt interpellatorem coerceat: vt aliquid reticere ſe dicat: vt denunciet quid caueat: vt liberius quid audeat: vt iraſcatur etiam:vt obiurget aliquãdo.i. vt deprecetur,vt ſupplicet, vt execretur, vt fiat his apud quos dicet,familiaris:atq; alias etiam dicẽdi quaſi virtutes ſequatur,breuitatem, ſi res petet, &c.¶Sed quoniam ad oratorem magis quàm ad poëtam attinent,his ſuperſeſſum ſit:quę fuſius ſi deſideres,in nono Quintiliani notata reperies.

FIgura ſermonis tria genera amplectitur.aut enim dictionis eſt,aut elocutionis,aut conſtructionis.

¶DICTIONIS figura his partibus ferè cõtẽta eſt,PROTHESI,appo-

ſitione literæ vel ſyllabæ ad principiũ dictionis, vt gnat⁹, tetuli. EPENTHESI. Adiũctiõe circa mediũ, vt relligio pro religio, Mauortis pro martis, induperator pro imperator. PROPARALEPSI, cũ quippiam fini adiungitur, vt dicier pro dici. Cui ſimillima eſt PARAGOGE, vt poteſtur. pro poteſt. APHERESI, cũ aufertur quippiã a principio, vt ruit omnia late, ꝑ eruit. SYNCOPE, ablatione literæ vel ſyllabæ de medio dictionis, vt dixti pro dixiſti. APOCOPE, de fine, vt vin' pro viſne. ECTASI, extenſione ſyllabæ natura breuis, vt Exercet Diana choros. Cui oponit SISTOLE, vt idolũ penultima breui, & ſteterũt apud Virgiliũ: Obſtupuit, ſteterũtq; comæ, & vox faucib⁹ hęſit. DIAERESI diuiſione vni⁹ ſyllabæ in duas, vt aulaï, ſiluæ triſyllabũ. DIPHTHONGO, cõglutinatiõe duarũ ſyllabarũ ĩ vnã, vt muſę, æripedẽ. SYNALOEPHA, cũ prior vocalis abſumitur cõcurrẽtibus duabus, vt carthag' Italiam. ECTHLIPSI, colliſione vocalis cũ conſonante, vt, multum ille & terris iactatus & alto. ANTITHESI, literę pro litera poſitione, vt Olli ſubridens, pro illi. METATHESI, tranſpoſitione literarum, vt, At tibi Timbre caput Euandrius abſtulit enſis. pro Timber. Hæ fere ſunt metaplaſmi ſpecies, quibus vbiq; licentius vtuntur poetæ quàm oratores.

FIgura locutionis eſt compoſitione aliqua nouata loquendi ratio: cuius partes eæ ſunto. ¶PROLEPSIS, præſumptio eſt rerũ ordine ſecutarum, vel cum numerus ante redditur verbis quàm res perſonæ affinjantur, vt

Interea reges ingenti mole Latinus

Quadriiugo vehit curru, bigis it Turnus in albis.
Tum pater Aeneas Romanæ ſtirpis origo,
Et iuxta Aſcanius magnæ ſpes altera Romæ,
Procedũt caſtris. Huius ratio nõnihil accedit ad prolepſin, quę eſt totius pręſumptio: cuius partes ad eandem proprietatē habent reduci: vt, Omnes ſtudent, ille grammaticæ, alius autem rhetoricæ.

¶SYLLEPSIS fit, cũ duabus & diuerſis ſentētijs vnum verbum datur, illorum alteri aliquo accidēte diſcõueniente, vt, Incluſos vtero Danaos, & pinea furtim Laxat clauſtra Sinon.

¶ZEVGMA, cũ diuerſis clauſulis vnum verbũ eſt pari ſignificatione accommodum: vt
Aeneas vrbe & ſocijs & claſſe relicta. Et Cicero. Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationē amentia. Item: Nihil te nocturnum præſidium palatij, nihil vrbis vigiliæ mouerũt. &,
Silet omnis ager, pecudes, pictæq; volucres.

¶HYPOZEVXIS, cum ſingula verba diuerſis clauſulis adhibentur: vt, Venit hyems, teritur ſicyonia bacca trapetis.
Glande ſues redeunt læti, dant arbuta ſiluæ.
Et varios ponit fœtus autumnus, & alte
Mitis in apricis coquitur vindemia ſaxis.

¶EPANALEPSIS eſt eiuſdem ſententiæ poſt multa interiecta repetitio: vt,
Huc pater o Lenæe, tuis hic omnia plena
Muneribus, tibi pampineo grauidus autumno
Floret ager, ſpumat plenis vindemia labris,
Huc pater o Lenæe veni.

¶EPANADIPLOSIS, cum aliqua ſententia eodem verbo clauditur quo incepit: vt, Vnũ illud tibi nate dea, proq; omnibus vnum.

¶EPANAPHORA, eiuſdẽ verbi iteratio frequẽs: vt, Num fletu ingemuit noſtro? nũ lumina flexit? Nũ lachrymas victus dedit, aut miſeratus amantem eſt? Hęc anaphora dici poteſt, vt

Nate meæ vires, mea magna potentia ſolus,
Nate patris ſummi, qui tela Typhoëa temnis.

¶PALILOGIA eſt verbi in fine carminis poſiti, in principio ſequentis repetitio: vt,

Deiphobum vidi lacerum crudeliter ora,
Ora, manuſque ambas.

¶ANADIPLOSIS cõtinuata eſt verbi vni9 repetitio, vt, O Corydõ Corydõ, quę te demẽtia cepit? Dicitur etiam epizeuxis: vt,

Me me, adſum qui feci, in me conuertite ferrum
O Rutuli (Per pathopœiam)

¶PARONOMASIA, cũ pro verbo alterũ ponit̃ ipſo ſenſu poſcẽte. Tereñ. Tibi erũt parata verba, huic homini verbera. dicit̃ latine adnominatio

¶CLIMAX, cũ in ſentẽtijs gradatio eſt ex re in rem: vt, Torua leęna lupũ ſequitur, lupus ipſe capellã, Florẽtem cytiſum ſequitur laſciua capella.

¶ASYNTHETON, cũ diſſolutæ ſunt ſentẽtiæ: vt, State viri: quæ cauſa viæ, quive eſtis in armis, Quove tenetis iter? Cicero. Abijt, euaſit, erupit, exceſſit.

¶POLYSYNTHETON, cum multis articulis connexæ ſunt, vt, Ferrum exercebant vaſto Cyclopes in antro, Bronteſq; Steropeſq;, & nudus membra Pyracmon.

¶DIAERESIS, quæ & deſignatio dicitur latine, rerum diſtributione fit: vt,

Hic Dolopũ manus, hic ſæuus tẽdebat Achilles;
Claſſibus hic locus, hic acies certare ſolebant.

¶ANTISTASIS eiuſdē verbi eſt repetitio ſub vario ſenſu, vt, Vna ſalus victis nullam ſperare ſa lutem.

¶HYPALLAGE, cum verba prępoſtero ordi ne efferuntur, vt, date claſſibus auſtros, pro, date claſſes auſtris.

¶METABASIS tranſitus eſt perſonæ ad perſo nam, vel rei ad rem, vt, Nūc ſubito & graui caſu afflicta mulier, vix mediocris ancillulę dignitatē retinet, quæ potens nuper fuit & locuples. O for tuna, quàm vehementer rerum varietas te oble ctat, & quàm magno odio eſt tibi beatæ vitę per petuus & conſtans vſus.

¶Alias figuras quę etſi nō minus gratiæ ornamē tiq; tribuunt orationi ac ſupradictę, perſequi ta men nō eſt inſtitutū, tū quod parū referat, tū quod vul gatiores fuerit vobis ſatis cognoſſe.

FIgura conſtructionis, quæ circa grāmaticam conſtructionem verſatur, hæc multis modis fit. Quandoq; per genitiuum caſum, vt, Hic annis grauis, atq; animi matur9 alethes. Et, diues equûm, diues pictaī veſtis, & auri. Per datiuum, Tunc decuit metuiſſe tuis. Per accuſatiuum. Ec ce manus iuuenē interea poſt terga reuinctum. Per ablatiuum, vt, erectus capite incedis. Per per ſonas, Vos o Calliope precor aſpirate canēti. Per numeros. Pars in fruſta ſecant. Per prępoſitionē, Nuncia fama ruit, matriſq; allabitur aures Euria li. inflare calamos, ebur, buccas. Per verba, Flaua caput nectuntur oliua. Per modos aut tēpora, vt vicimus pro vincemus, vicero pro vincam, venari pro venabatur. Per pleonaſmon, vt viuere vitam, pugnare pugnā, voce vocare, ire iter. Per aduer

bia,magnũ tonat,tumidũ loquit̃,magnũq; fluentem Nilũ,graue olet,longũ lætabitur. Per nomina,vt nullus dixeris,pro nõ,& cũ dicimus, bonũ eſt virtus. his omnibus deſunt ferè nomina.quæ forte inter præcedentes annumerari debuerunt. Huius partes ſunt Prolepſis,Zeugma, Syllepſis, de quib⁹ quod dictũ eſt,ſatis ſit, Appoſitio,Euocatio,Cõceptio,Antiptoſis,Syntheſis Synecdoche.

¶APPOSITIO fit,cum duo ſubſtantiua ad idẽ ptinentia nectunt̃ immediate,vt vrbs Gandauũ.

¶CONCEPTIO eſt indignioris ad dignius reductio mediata,vt,ego & tu periclitamur.

¶EVOCATIO, tertiæ perſonæ ad primã vel ſecundam reductio continua,ego piger ſedeo.

¶ANTIPTOSIS eſt pro caſu alterius caſus poſitio,vix permiſſa,niſi ſic dicamus,libri ſunt id genus exemplorum repleti.

¶SYNTHESIS numeri pro numero,vt, Turbã ruunt in me luxurioſa proci.

¶SYNECDOCHE, eſt attributio partis ad aliquod totum ſub ꝓprietate verbi vel adiectiui: vt æthiops albus dentibus.

IGNOBILIS AC OBSCVRAE ORATIONIS SPECIES.

¶ACYROLOGIA impropria eſt dictionis vſurpatio,& contra naturalẽ ſignificationẽ, vt accede ad hunc ignẽ,apud Terẽtium,id eſt ad hanc mulierem:licet excuſari poſſit metaphora.

¶PLEONASMOS fit quoties ſuperuacuis verbis oneratur oratio.hiſce oculis vidi,ne nega.

¶PERISSOLOGIA, cũ ſuperabundat ſententia nullo ſeruato pondere rerũ, vt, male te Iupiter perdat,& non tueatur.

¶TAVTOLOGIA,eiuſdem verbi moleſtā repĕtitio:vt, Non ſolum illud iudicium iudicij ſimile iudices non fuit.

¶PERIERGIA,cũ ſermo,cultus gratia lõgior q̃ pro re ſit,& curioſior: vt apud Ouidiũ. Aureus axis erat,temo aureus, aurea ſummæ Curuatura rotę,radiorũ argẽteus ordo. Per iuga chryſolithi, poſitęq; ex ordine gemmę.Dicitur etiã cacozelia. Quenquã tamẽ nõ fallat poëtis figurã eſſe ornatiſſimã,quod oratoribus eſt vitium.

¶AMPHIBOLOGIA eſt vitioſa cõpoſitio ratione ſenſus ambigui: vt,Aio te Aeacida Romanos vincere poſſe.

¶ECLIPSIS vel apoſiopeſis,quã Cicero reticẽtiã vocat,fit cũ quidpiã reticet quod neceſſarium eſt ſuppreſſum intelligere:vt, Quos ego:ſed motos prę ſtat cõponere fluctus:intellige,puniã.Huius vis vel maxima in pathopœia declaratur, cũ vel odio vel iracundia vel gaudio vel miſericordia mouemur:vt, Me me:adſum qui feci.

¶CACEPHATON eſt,inquit Diomedes,vitio cõpoſitiõis inuerecũda ſuſpicio:vt, At ramũ hũc (aperit ramũ qui veſte latebat.) Vel fit cacephaton nimis aſpero literaꝶ ſyllabarũve cõcurſu,vt, O fortunatã natã me conſule Romam.

¶BARBARISMVS eſt vitioſa dictio cõtra latini ſermonis legem aut ſcripta aut pronũciata,vt ſapiantis per a,vel penultima breui.

¶BARBARALEXIS eſt inſerta dictio peregrina cãdori Romano,vt guerra,leuca, gaza pro diuitijs.

¶SOLOECISMVS eſt inconueniens compoſitio partium orationis, veluti ſubſtantiui cum

adiectiuo,nominatiui cũ verbo, relatiui cũ antecedente,aut recti cũ regẽte.Quod hac lege dictũ ſit,vt vnaquaqꝫ loquẽdi forma pręſcripta non ſit inter vos qui in ſolœciſmos poſſit impingere,aut cui poſſit barbaralexeon inuri nota.Illa ſecura luce niteſcit,hęc vel cimmerijs tenebris nõ ceſſerit. Cõcedãt ergo nubila lumini,& cognita iniquorũ ratione,melius ęqua tueamur,tutaqꝫ capeſſamus.

SEd qm̃ plurimũ refert orõnis,quę quibus anteponas,quove vnũquodqꝫ loco ſubſtituas ante oĩa quid vnicuiqꝫ orõni maxime cõueniat, videre licet,quę quib9 partibus quadrẽt aut repugnent,quæ quibus danda auferẽdave ſint. In quo quiſqꝫ ſibi monitor exiſtat: mihi certè ſic videtur, Felices ac promptos in ſcribẽdis thematis nuſq̃ euadere qui in colligendis argumentis,ſcite dictis,& exquiſitioribus loquẽdi formulis, multũ operę nõ locauerint. ¶Orationũ aũt alia vincta eſt,alia ſoluta & libera,qualis eſt in epiſtolis.quæ nõ eò ſoluta dicitur,quòd pedibus ſuis omnino careat.fieret enim vt gratiã & oblectationẽ quæ legentẽ(vt ſolet cõcinna)remoratur,amitteret,aut aſſequẽtẽ tędio enecans omnino reijceretur,ſi numeris quibuſdam & tẽporibus deſtituta hiaret,& quaſi laboraret duro vocaliũ concurſu.Sed ſoluta dicitur oratio,quòd nõ fluat nec cohęreat,nec verba de verbis trahat,vt potius laxiora vincula quã alia habeat vbiqꝫ.In omni autẽ cõpoſitione vt obſeruata ꝓportionis ratio plurimũ adfert ornamẽti,ita dictionum ſententiarũve recta diſtinctio q̃ nõ parũ ad verũ lectionis intellectũ conferat,vix vnq̃ credibile eſt:vt recte poſſit eſſe apta diſtĩctio vice cõmẽtarij lectori.His ergo potiſſimũ ĩterual

lis diſtingui conſueuit oratio: Periodo, quē inter-
pretatur Quintilianus ambitū. hic abſolutū ſen-
ſum à ſenſu dirimit. Colo ſiue mēbro. hoc ꝑfectā
orationē claudit, ſed cuiꝰ ſenſus adhuc depēdeat,
atq; quippiā ſibi adiungi poſtulet. Commate ſiue
inciſo: hoc mēbri eſt pars, quę de ſe nihil plenū ſi-
gnificare poteſt. Vobis puto in manu eſt ſcriptu-
rā cōmunibus notulis, apicibus, aliiſq; interuallis
diſtinctam efficere. Oīs pręterea oratio tribus his
cōſtat, ordine, coniunctione, & numero. Feliciſſi-
mus eñ eſt ſermo, vel Fabio aſſertore, cui & rectꝰ
ordo, & apta iunctura, & cū his numerꝰ opportu
ne cadens contingit. Ordinis obſeruatio in verbis
ſingulis ſita eſt & cōtextis, cū ſcilicet coniungunt̄
quę coniungēda ſunt, quoꝝ ſeiunctio lectoris ani-
mū maximopere offendit. Iunctura obſeruat̄ cū
ita vinciūtur ſingula, vt ſequētia ex pręcedētibus
quaſi pēdeāt, nec ab inſtituto digrediat̄ oratio vel
latū vnguē, niſi eo vnde exceſſit pręproperā feſti-
net, careat iterſtitionibꝰ, hiatibꝰ, rythmis, mono
ſyllaborū aut breuiorū verborū cōtinuatione. Nu
meri obſeruatio attēditur melius in pronūciatiōe
numeroſa. Pronūciatio autē eſt modulatio quędā
vocū certo tēpore cōſtans. Eſt eñ (ſi modo quod
accepi, referre licet) & in oratione ſoluta pedū ra
tio pręſtituta, licet nō æque certis legibꝰ inter ſe
coniūgant̄, vt in carmīe. Quas tñ ſi cōfuderis, nō
magis erit oratio q̄ cātio cātio, in qua temere cō-
fundit muſicus graues cū acutis, lōgas cū breuibꝰ

q̃ cui elaborãdum diutius hic ſit:neq; ſatis ſcio an cõmode fieri poſſit. Vos authores conſulite.

INDEX INSIGNIORVM SENTENTIARVM HVC TANQVAM IN FASCICVLVM REGESTARVM: CVI ADPOSITVS NVMERVS FOLIVM INDICABIT.

	Parabola	32
	Metaphora	33
	Allegoria	34
	Parœmia	34
	Aenigma	34
	Ironia	34
	Antiphraſis	35
	Synecdoche	35
Tropus	Metonymia	35
	Antonomaſia	35
	Onomatopœia	35
	Catachreſis	35
	Hyperbaton	35
	Anaſtrophe	35
	Parentheſis	36
	Tmeſis	36
	Hiſterologia	36
	Hyperbole	36
	Emphaſis.	36

	Protheſis	37
	Epentheſis	
	Proparalepſis	
	Paragoge	
	Aphereſis	
	Syncope	
Dictionis	Apocope	37
	Ectaſis	
	Siſtole	
	Diereſis	
	Diphthongus	
	Synalœpha	
	Ecthlipſis	
	Antitheſis	
	Metatheſis	37
Figura	Prolepſis	37
	Syllepſis	38
	Zeugma	
	Hypozeuxis	
	Epanalepſis	
	Epanadiploſis	38
	Epanaphora	
Locutionis	Palilogia	
	Anadiploſis	
	Paronomaſia	38
	Diæreſis	39
	Antiſtaſis	
	Hypallage	39

	Appoſitio	
	Conceptio	39
Conſtructionis	Euocatio	
	Antiptoſis	
	Syntheſis	
	Synecdoche	39
	Acyrologia	39
	Pleonaſmos	
	Periſſologia	39
	Tantologia	40
	Periergia	
Obſcurum	Amphibologia	
	Eclipſis	
	Cacephaton	
	Barbariſmus	
	Solœciſmus.	40

Conſultiſſimo viro D. Franciſco le Boulleur Ioannes Butinus. S.

NOSTI CONSVLTISſime cenſor, q̃ acri iudicio opus habet qui recte ac pro officio liberis imperatum, diſcentiũq; ſtudio præclare conſultũ volet, ne ſcilicet cõmittat vt ea doceantur aliqui, quæ cũ plurimorum iniuria & ncõmodo iuncta ſint. Ambigit enim nemo, eadem alijs commodo, alijs incõmodo eſſe, quæ potiſſimũ inæqualibus tradũtur: inter quos non deſunt citis quadrigis qui neminem non anteant ſociorũ mira quiduis intelligẽdi acrimonia: de qui-

bus,ſi modo integrũ eſt de alieno ingenio pronũciare, ſentio quod Fabius, haud temere ad frugẽ peruenire illud veluti præcox ingeniorũ genus. Contra,ſunt longe cunctãtiores nonnulli,ſed nihilo tamen infœliciores mea ſententia, quos vel teſtudo præuertat eũdo:adeo tarde rei quam ſub præceptore exceperint, intellectum aſſequũtur, licet aſſequuti tenacius retineãt.Cui ordini ſi tuũ (vir ornatiſſime)magnæ ſpei filiũ inſcribi malis, nihil obſiſtam.eſt enim tardiuſculo ingenio, ſed à quo vix reuellas quod ſemel inſederit. eſt idẽtidem cunctabundus ipſe,ſed qui lentam cunctationem firma perceptorum memoria perpulchre ſarciat,ita vt in eo relucere poſſit tarda quædam celeritas,tũ rurſus celeris ea tarditas,qua Fabius imperator non vulgarem olim attulit Romanis vtilitatẽ.Id mehercule pluris fecerim,q̃ pręmaturam eius æqualium & labilem viuacitatem,qua illis facile ceſſerit. Sed qui fieri poteſt, æquo curſu vt omnes ad metã tendãt qui in ſtadio currũt? nimirum eſt aliquis laudis appetentior quàm cui poſſit eſſe reſpondẽdo factis. contra eſt & laudis & rerũ ſuarum tardus prouiſor. Alius ſibi de ingenio placet,gaudetq́ videri egregie ad ſcientiã natus. Eſt ediuerſo qui nolit videri doctus, dum ſit.Sũt quibuſcum ſi agas imperitiam curaturus, nihilo plus facias quàm ſi cũ Aiace ratiocineris, aut cum ratione Aiacem referas furentẽ.Hos pudet(malum)ad ea deſcendere,quæ elemẽtarij ne-

quorum gratia adeo multũ laboris exhauriendũ eſt. Viſum eſt ergo, idq; non ab re, quaſi regulam quandã quæ ad æqualitatem reducat omnia (ne ſcilicet ij q̄ alijs eſſent in mora, impedimẽto eſſe videãtur quo min⁹ properare illis liceat) has pręceptiones cõmuni iuuenũ vtilitati donare: quę vt vltra mediocritatẽ eruditis nihil offecturæ ſunt, ita pueris & illiteratis neceſſariæ fuerint. An non rectũ eſt, in quo labuntur imperiti frequẽter, in quo ſemidocti nõ raro hęrẽt, digito etiã retexiſſe? horũ cunctationẽ, illorũ errorẽ hoc negotio redemiſſe? Quomodo libet cedat, nõ diffido tamen fore quin boni facias, ſi modo is es, vt veriſſime es, qui eſſe ſoles, quicquid eſt quo meũ ſtudiũ in te & Ioannẽ tuũ planũ facio. A quo nõ ſecus ac pleriſq; ſui gregis adoleſcentulis meã hac in parte deſiderari operã ſentiẽs (verecũdũ enim erat illi, quãtũ cõijcere poterã, humilibus ſemper adhæreſcere, alijs vltra prima huius artis rudimenta iã prouectis) pro priuato cuiuſq; cõmodo, multorũ cenſuræ periculo obijcio famã, alienæ (credo) potius q̃ meæ proſpiciẽs vtilitati: etſi nõnihil hæſit animus id ſuſcipere quod pene deſperabã me cogitatiõe cõplecti poſſe, nedũ facultate cõſequi. Atqui mihi iniquũ videbatur, officiũ meũ detrectare ei, præſertim in re honeſta, cuius profectu nihil habeo prius in votis. in quo ſi quid inſtaurandum, ſi quid recantandũ ocurrat, nõ mihi, ſed amãti mihi tribuatur. Vicit nẽpe amor pudorẽ, ceſſit pudor amori: idq; meli⁹ eſſe duxi, meã prudẽtiã deſiderari à naſutis quibuſdã, qui nihil nõ dãnant quod forte nõ didicerũt, quàm beneuolentiã, ab ijs quibus deeſſe (male ſit mihi ſi nõ ex animo loquar)

nõ eſt in me ſitũ. Hęc ſit hui⁹ inſtituti tota ratio. Quod ne quapiã alia re huc me perpulſum eſſe in animum inducas credere, ſic, quæſo per meam in te obſeruationem, habeto, ad id tantum ſpectaſſe me (quod ſi liceat, iureiurãdo confirmaro) vt hoc maiorem nauaret operã adoleſcens, nõ in hoc libello dico (in quo vix exigã diligẽtiã priuſq̃ aliarum lectionũ tædiũ obrepſerit) hoc quoq; vehementior adijceretur aculeus ad ſtudia, quo feruẽtius in ſuũ cõmodum me incũbere vel re ipſa cognoſceret. Et cum non parũ promouiſſe videtur qui ad literas accenderit ætatẽ hanc quæ ad otiũ procliuis eſt natura, eaſq; amare docuerit, factum eſt vt omnino nõ viderim quid mihi fraudi eſſe poſſit hac in re, niſi in diuerſum detorqueant nõnulli, vt fit ſæpe, quod iuuandi ſtudio excogitatũ eſt. Nẽpe mihi eſt obſeruatũ, vt quod optime cõſultum fuit, malum ſæpenumero ſortiatur exitũ. rurſus quorundã incõſulta temeritas fœliciſſime vt cedat. Sic ſunt res, & hominũ ingenia: quibus ſi velis mederi, nihilo pl⁹ agas, q̃ mare ſi cõdire pergas zaccaro, vt dulce fiat. Vt vt volet ſors, cadat alea, decretũ tamẽ eſt audere, dũ gratificandi modo ſtudiũ nõ defuiſſe agnoſcatur. In primis enim vtile nõ minus q̃ decens videbatur primã ſtatim ætatẽ vel inter ſinus nutricũ adhuc repentẽ informari ad eã diſciplinã quã in iuuene deſiderat Horatius. Os, inquit, tenerũ pueri balbũq; poeta figurat. in qua vt prodeſt primũ exerceri puerum, ita-

dere ſe credant qui ea inſtituantur. Verum excedit epiſtola modum. Quid opus eſt verbis, cũ rei cõmẽdatio ſit notior, quàm quæ aliũde ſubornari poſtulet? Tibi (vir prudentiſſime) ſtomachum nõ fecerit, quòd te tandiu à ſerijs occupationibus interpellarim. rarus quippe ſalutator ſemel compenſat quod ſæpe in multis ceſſatũ eſt. Quicquid id eſt, acceptum ferto gratus, vel ſaltem nõ ingratus, quod viſum eſt adiũgere tuę amplitudini, mei in puerũ animi vel certiſſimũ ſymbolum, qui vt (ſpes eſt) tuis ornamentis, licet maiora ſint quàm quibus vlla acceſſio fieri poſſit, adiunget quippiã, nõnihilꝗ vtilitatis ex ſtudio eſt relaturꝰ. quãlibet enim tardus, facile tamẽ diſcit qui diſcendi eſt cupidus, vbi potiſſimũ nõ deeſt qui animũ addat. Vale. Et boni facias noſtrum otium.

E ſcholis Montis. x x. Februarij.

Guilielmus Monſdraconicus ad Franciſcum de Haruille.

Te Franciſce lepos trahat,
Te dulcis capiat muſa, parat tibi
Quam præceptor, & vtilem
Cõmunit ſtudijs ſplendidius viam
Qua tu, qua reliqui modos
Cuiuſcunꝗ queant diſcere ſyllabæ
Menſuram, & proprium ſitum.
Nunquàm pone manu munus amabile
Prę cunctis capere occupans.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE